

LITURGIA HORARUM
IUXTA RITUM ROMANUM

OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIECESIS
PADERBORNENSIS

OFFICIUM DIVINUM
PRO DICESESIBUS REGIONIS
LINGUÆ GERMANICÆ

Officia propria Archidœcesis
Paderbornensis

APPROBATUM

Paderbornæ, die 28 novembris 1984
† JOHANNES JOACHIM DEGENHARDT
Archiepiscopus Paderbornensis

CONFIRMATUM

Datum Romæ in Civitate Vaticana
Ex ædibus Sacræ Congregationis
pro Cultu Divino,
die 15 aprilis 1985
Prot. N. 2002/84
† AUGUSTINUS MAYER
Archiepiscopus tit. Satrianensis
Pro-Præfector

Pro Beato Nicolao Stenone:

CONFIRMATUM
Datum Romæ in Civitate Vaticana
Ex ædibus Sacræ Congregationis
pro Cultu Divino
die 27 septembris 1988
Prot. N. 1125/88
VERGILIUS NOÈ
Archiepiscopus a Secretis
die 27 octobris 1989
Prot. CD 589/89
LUDOVICUS KADA
Archiepiscopus a Secretis

Pro Beata Maria Teresia Bonzel:

APPROBATUM

Paderbornæ, die 16 iulii 2013
† JOHANNES JOSEPH BECKER
Archiepiscopus Paderbornensis

CONFIRMATUM

Datum Romæ in Civitate Vaticana

Ex ædibus Sacræ Congregationis
pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum,
die 17 octobris 2013
Prot. Nr. 490/13/L
ANTONIUS CARD. CAÑIZARES LLOVERA
Præfectus

*Pro Sanctis Patroclo, Erkanberto, Adalhardo et Engelberto
necnon Beato Nicolao Groß:*

APPROBATUM

Paderbornæ, die 8 februarii 2021
† JOHANNES JOSEPH BECKER
Archiepiscopus Paderbornensis

CONFIRMATUM

Datum Romæ in Civitate Vaticana

Ex ædibus Sacræ Congregationis
pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum,
die 12 aprilis 2021
Prot. Nr. 130/21
† ARTURUS ROCHE
Archiepiscopus a Secretis

Calendarium

Proprium Archidiœcesis Paderbornensis

IANUARII

21	S. Patrocli, martyris, patroni Sosatiæ	6
23	B. Nicolai Groß, martyris, patrisfamiliae	8
27	S. Iuliani, episcopi Cenomanensis	11

FEBRUARII

9	B. Mariæ Teresiæ Bonzel, virginis	13
---	---	----

APRILIS

30	B. Paulinæ de Mallinckrodt, religiosæ, fundatricis	15
----	--	----

IUNII

7	S. Erkanberti, episcopi	18
12	S. Leonis III, papæ	21

IULII

8	S. Kiliani, episcopi, conpatroni Archidiœcesis et Ecclesiæ Cathedralis Paderbornensis, et sociorum, martyrum, Memoria	23
22	In anniversario dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, Sollemnitas in ipsa Ecclesia Cathedrali dedicate, Festum in ceteris Ecclesiis.	25
23	S. Liborii, episcopi Cenomanensis, patroni Archidiœcesis et Ecclesiæ Cathedralis Paderbornensis, Sollemnitas	29

AUGUSTI

7	S. Hathumari et S. Baduradi et B. Meinwerci, episcoporum Paderbornensium	48
---	--	----

SEPTEMBRIS

4	S. Idæ de Herzfeld, viduæ	51
25	S. Adalhardi, abbatis	53

OCTOBRIS

3 SS. Ewaldorum fratrum, martyrum in finibus Rheni inferioris	55
5 S. Meinulphi de Böddeken, archidiaconi	57
25 De reductione reliquiarum S. Liborii, episcopi, Festum in Ecclesia Cathedrali, Memoria ad libitum in ceteris Ecclesiis	58

NOVEMBRIS

7 S. Engelberti, episcopi, martyris	62
12 In anniversario dedicationis Ecclesiarum, quibus dies dedicationis ignota est, Sollemnitas	64
25 B. Nicolai Stenonis, episcopi	64

DECEMBRIS

4 B. Adolphi Kolping, presbyteri.....	67
16 S. Sturmii, abbatis.....	69

*Quando non indicator gradus celebrationis,
est Memoria ad libitum.*

APPENDIX

Hymnus ad Vesperas S. Liborii, ad libitum	72
---	----

INDICES

Index lectionum biblicarum	73
Index hymnorum.....	73

Die 21 ianuarii

**S. PATROCLI,
MARTYRIS, PATRONI SOSATIÆ**

Patroclus circa annum 200 Augustobonæ Tricassium (Troyes) putatur ortus esse e nobili familia. Ibi decollatus est anno 259 sub Valeriano imperatore suam propter constantem Iesu Christi confessionem. Alii fontes figunt diem eius martyrii in anno 275 sub Aureliano imperatore. Anno 962 Bruno archiepiscopus Coloniensis transtulit reliquias Sancti suam in metropolim. Biennio post in Sosatiam traductæ sunt, ubi ad hunc diem in proposituræ ecclesia Sancti Patrocli conservantur. In Sosatia martyr honoratur patronus oppidi et repræsentatur inde a medio ævo cum gladio et scuto.

De Communi martyrum: pro uno martyre, Vol. III, 1410.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

Ex litteris Encyclicis *Spe salvi* Benedicti XVI, papæ

(AAS [2007] XCIX, 39; pp. 1016–1017)

Impassibilis est Deus, sed non incompassibilis

Pati cum alio, pro aliis; pati propter veritatis et iustitiæ amorem; pati ex amore et ut quisque persona efficiatur quæ vere amet – hæc sunt fundamentalia humanitatis elementa, quorum derelictio hominem ipsum deleret. Sed iterum surgit quæstio: hoc peragere possumus? Estne alter satis gravis, ut ego pro eo patiens fiam? Estne veritas mihi tam magni ponderis ut pretium solvam doloris? Estne tanta amoris promissio ut donum mei ipsius iustificet? Ad christianam fidem in historia humanitatis hoc meritum pertinet in homine nova ratione novaque subtilitate suscitandi capacitatem talium modorum patiënti qui decretorii sunt pro eius humanitate. Christiana fides ostendit

nobis veritatem, iustitiam, amorem non solum specimina, sed realitates maximæ esse densitatis. Nam ipsa ostendit nobis Deum – Veritatem videlicet et ipsum Amorem – pro nobis et nobiscum pati voluisse. Bernardus Claravallensis effinxit hunc mirum dicendi modum: *Impassibilis est Deus, sed non incompassibilis* (*Sermones in Cant.*, Serm. 26,5: *PL* 183,906.) – Deus pati non potest sed compati potest. Deus hominem tam magno æstimat ita ut Ipse homo factus sit, ad com-patiendum cum homine, modo plane reali in carne et sanguine, sicut nobis in narratione Passionis Iesu demonstratur. Illinc in omnem humanam passionem ingressus est ille qui doloris et tolerantiæ particeps fit; illinc in omnem passionem difunditur *con-solatio* compatiens Dei amoris et ita stella spei oritur. Procul dubio inter varios nostros dolores et tribulationes iugiter indigemus etiam parvis mediisque spei formis – benevolæ visitatione, interiorum ac exteriorum vulnerum sanatione, prospera cuiusdam discriminis solutione, et ita porro. In minoribus tribulationibus hæ spei formæ possunt etiam sufficere. Sed vere magnis in tribulationibus, in quibus mihi est definitive decernendum, utrum veritas valetudini, honorum cursibus, possessioni sit anteponenda, certitudo verae, magnæ spei, cuius mentionem fecimus, necessaria redditur. Quamobrem indigemus quoque testibus, martyribus, qui plane in dies sese obtulerunt, ut ipsi nobis hoc ostenderent. Iisdem indigemus ut inter parvas vicissitudines vitæ cotidianæ, bonum commoditati anteponamus – scientes hac ratione nos ipsos veram vitam vivere. Hoc Nobis iterum dicere liceat: capacitas patiendi propter amorem veritatis mensura est humanitatis. Hæc tamen capacitas patiendi pendet ex genere et ex mensura spei quam intra nos perferimus ac super quam ædificamus. Magna spe repleti, sancti magnum humanæ exsistentiæ iter confidere potuerunt eadem ratione qua antea id fecit Christus.

RESPONSORIUM

Rm 8,17.19

R/. Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, * ut et conglorificemur.

V/. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. * Ut et conglorificemur.

Oratio

Præsta, Dómine, præcibus nostris cum exsultatiōne provéntum, ut sancti mártiris Pátrocli, cuius diem passiónis ánnua devotióne recólimus, étiam fídei constántiam subsequámur et in amóre erga te crescamus. Per Dominum.

Die 23 ianuarii

B. NICOLAI GROSS, PATRISFAMILIAS ET MARTYRIS

Nicolaus Groß natus est anno 1898 in vico Niederwenigern. Uxoratus, fuit pater septem filiorum. Primo in fabrica laminarum laboravit deinde in metallo minarius, inde ab anno 1920 operam impendit in “syndicato minariorum christianorum” suscipiens anno 1927 directionem redactionis folii diurni “Westdeutsche Arbeiter-Zeitung”. Profunda fide insignis necnon fiducia in Deo immobili ex oratione hauriebat vigorem pro suis activitatibus ac infatigabili cura sua de familia. Propter suos ad resistantiæ circulos contactus anno 1944 in campum concentrationis apud Ravensbrueck, deinde in carcerem Berolinensem in Tegel deductus est ibique supplicio occisus.

De Communi martyrum: pro uno martyre, Vol. III, 1410.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO ALTERA

Ex Epistola valedictoria Nicolai Groß ad familiam

*Sentio quantopere oratione sunt facta in interioribus meis
omnia tranquilla et pacifica*

Dies est Sanctæ Agnetis, quo has scribo litteras, quæ cum venerint vestras in manus una cum altera epistula quam mense novembri scripseram, vobis annuntiabunt Dominum me vocasse. Imagines vestræ sunt coram me et uniuscuiusque diu intueor vultum familiarem. Quanta volueram facere ultra pro vobis – Dominus aliter disposuit. Sit nomen Domini benedictum. Fiat in nobis voluntas eius. Nolite timere ne sint in me in facie mortis procella magna et intranquillitas. Cotidie petebam iteratim virtutem et gratiam, ut Dominus corroboraret me et vos ad suscipiendum omnia patienter et devote, quæ ipse destinaret vel admitteret. Et sentio quantopere oratione sunt facta in interioribus meis omnia tranquilla et pacifica.

Summa cum dilectione et profunda gratitudine vos recolo. Quam bonus est Deus et quam divitem effecit vitam meam. Donavit mihi suum amorem et gratiam ac dedit uxorem amabilissimam et bonos filios. Nonne debedo ei et vobis gratias totam per vitam? Gratias ago vobis carissimis pro omnibus quæ mihi tribuistis. Et dimittite mihi si dolorem causaverim vel officium debitumque meum erga vos male perfecerim. Tibi præcipue, cara mater, regratiari habeo. Cum valediceremus nobis invicem pro hac vita, paucos ante dies, reversus in cellam gratias egi Deo ex cordis profundo pro tuo vigore christiano. Valedictione tua forti lucem claram effudisti super meæ vitæ ultimos dies. Non potuit pulchrior esse et felicior conclusio summi amoris nostri quam facta est actitudine tua vigorosa. Novi et a te et a me magnam postulatam esse

virtutem, attamen grati simus memores Dominum hanc nobis donasse virtutem.

Interdum pensavi in mensibus meæ incarcerationis longis, quid fiat de vobis cum iam non futurus sim vobiscum. Iamdudum autem intellexi vestram sortem non a me dependere. Si Deus velit me iam non esse vobiscum aliud vobis parabit adiutorium efficiens absque me. Deus neminem relinquit sibi fidelem, nec vos relinquet si in eum nisi fueritis. Ne habeatis propter me tristitiam – spero, ut Deus me suscipiat. Nonne omnia mirabiliter disposuit? Me sivit in domo in qua etiam incarceratus nonnullam caritatem recepi ac compassionem humanam. Tempus plus quam quinque mensium mihi concessit – vere tempus gratiæ – me præparandi ad reversionem in domum. Immo multo plus fecit: in sacramento venit ad me, sæpius, ut mecum esset in omnibus procellis et necessitatibus, præsertim ultima in hora. Omnia hæc aliter fieri potuissent. Pauca deessent, si me sicut tot alios transtulissent aliam in domum post incursionem diei 6 mensis octobris multa decisiva non receperissem. Nonne benedicenda est mihi Dei dispositio sapiens et grata et gratias agendum pro bonitate eius ac custodia paterna? Licet gravis sit et dolorosus præmaturus meus obitus – reapse eo Deus tribuit mihi magnam gratiam. Unde ne ploretis nec contristemini, orate pro me ac gratias agite Deo qui me vocavit in caritate et domum duxit. Pro unoquoque vestrum imagunculæ proverbiali vel devotionali inscripsi ultimum verbum personale. Serviat vobis in memoriam modestam et in petitionem in oratione mei non oblivisci.

Magno erant mihi gaudio crux obituaria et rosarium, quod tu, cara mater, mihi misisti in cellam. Crucem in pectore porto diu noctuque, et rosarium quoque me comitatur iugiter. Curabo ut ambo sint reversura in manus tuas. Et tibi erunt obiecta caræ memoriæ.

Ecce ordinavi res meas terrestres. Dies et horas mihi manentes totos dedicabo orationi. Misereatur miseræ

animæ meæ Deus et vos semper comitetur sua benedictione et gratia.

In dilectione Christi, quæ nos redemit et tota est spes nostra, vos benedico. Retribuat vobis Deus quæcumque fecistis mihi cara et bona. In eius confidentes gratiam et bonitatem sperate ut nos invicem revideamus in eius pacis regno.

RESPONSORIUM

Rm 12,2; Eph 4,23–24

R/. Transformamini renovatione mentis, * ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum.

V/. Renovamini autem spiritu mentis vestræ et induite novum hominem * ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum.

Oratio

Deus qui beáto Nicoláo, mártiri, ad familiáre et pùblicum munus spíritu christiáno exercéndum grátiam contulísti, auge fidem in te sperántium, ut nostræ vocatiónis offícia digne persólvere meréamus. Per Dóminum.

Die 27 ianuarii

**S. IULIANI,
EPISCOPI CENOMANENSIS**

Iulianum episcopum Cenomanensem et decessorem sancti Liborii intra annos 301 et 348 munere episcopali functum esse verisimile est. Reliquiis eius in eandem cathedralē urbis anno 835 translatis anno 1158 eiusdem urbis patronus factus est. Paulo post capitulum Cenomanense vitam et reliquiam sancti Iuliani ad capitulum Paderbornense misit. In porta cathedralis Paderbornensis principali statua sancti Iuliani posita est; qua quidem re luculenter appareat, qualis ei cultus et honor ex eo tempore Paderbornæ tribuatur.

De communi pastorum, Vol. III, 1432.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO ALTERA

Ex oratione Pauli Simon († 1946)

(*Friedrich M. Rintelen, Die Predigt in unserer Zeit,
Paderborn 1946, 81–83*)

Nulla prædicatio sine experientia fidei

Prædicator non potest prædicare, nisi ipse credit, nisi fide intime affectus est. Experientia fidei eius maximi igitur est momenti; nam prædicationem eius format, calidam reddit aut frigidam, gravem aut levem, dilucidam et veram aut infinitam et a veritate rerum seiunctam. Etiam si quis orationem a Bossuet vel a Bourdalone confectam edidicerit et perfecte pronuntiaverit sicut Lacordaire, tarnen illa oratio rhythmum, ut ita dicam, vel absconditum divinum cantum fidei non assequetur nisi prædicatoris fide. Nam si prædicator veritatem verbi a se pronuntiatam numquam expertus erit, oratio eius fundamento carebit.

Prædicatori de sola vita veritateque curandum est. Ex animo enim de Deo loqui maximum est cum homini tum prædicatori. Finge parumper animo aliquem Stare ante te cum ferro, paratum ad interficiendum te statim, nisi iamiam recte respondeas ad interrogationes eius: Responsum ipse quidem seit, te autem dicere oportet, et paulisper vita tua ex eo pendet, ut statim responsum rectum scias. Veritas enim Dei vivi nonne multo maioris est momenti quam illud responsum? Et tunc in suggestu sacro vel cathedra consiste et doce homines argumentis Deum esse, frigide, sine ira et studio, sed tantummodo via ac ratione procedens! Quis est, qui hoc facere possit? Maiestatem adhuc trementes Dei tarnen sine ullo erimus præiudicio? Deus non solum – horribile dictu! – obiectum fidei nostræ est; si

credimus eum vere, plus minusve, simpliciter fortasse et perpetuo, fortasse vero ardenter et horis gratia Dei donatis, veritatem et præsentiam eius sentimus.

Cumque prædicator de incarnatione loquitur, estne maxima rerum humanarum, summam admirationem movens? Immo, minima vis est verbi, cum incarnationis veritas animos adeo commoveat, ut omnibus nugis hominum omissis de nulla alia re agi conveniat; et prædicatio nostra, quæ est de incarnatione, morte, resurrectione Christi, tali est colore vel cantu interiore, quali nostra cognitio et sensus noster huius veritatis.

RESPONSORIUM Gal 1,11 sq; 2 Cor 11,10,7

R Evangelium, quod evangelizatum est a me, non est secundum hominem; * neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi.

V Est veritas Christi in me, quoniam evangelium Dei evangelizavi vobis. * Neque.

Oratio

Domine, Deus noster, qui sancto Iuliano episcopo spiritum consilii et fortitudinis contulisti, ut Ecclesiam Cenomanensem dirigeret et in fide firmaret, nos quoque, quæsumus, illumina, ut munera nostra cognoscamus et virtute Spiritus tui impleamus. Per Dominum.

Die 9 februarii

B. MARIÆ TERESIÆ BONZEL, VIRGINIS

Beata Maria Theresia, nata die 17 mensis septembris, anno 1830 sub nomine Aline Bonzel in oppido quod Olpe dicitur, a parvulis fervida veneratrix Domini in augustissimo sacramento erat simulque fascinata a Sancti Francisci spiritualitate. Anno 1863 mandata est ad exarandum pro exiguo cœtu pari animo

prædito in Olpe statuta iuxta regulam tertii ordinis Sancti Francisci. Adoratio eucharistica pro „Sororibus Franciscanis de Adoratione Perpetua“ fit elementum essentiale non solum ad prædicandum de caritate Dei habilitans sed etiam ad ei vultum revera induendum et profecto cum Jesu pauperibus infirmisque subveniendum secundum Sancti Francisci exemplum. Die 6 mensis februarii, anno 1905 Maria Theresia Bonzel in Olpe oppido terrenam hanc cum cælesti vita commutavit.

De Communi virginum, Vol. II, 1603, vel Vol. III, 1470.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO ALTERA

Ex scriptis B. Mariæ Teresiæ Bonzel

(Weisungen und meditative Anregungen zum geistlichen Leben, Kapitel Weisungen über die Nachfolge Jesu Christi, S. 25–26)

Mandata de imitatione Jesu Christi

Propositum vitæ omnibus viribus quærere nobis certum est consilium. Nobis autem cæcis opus est duce, qui nos incolumes ducat. Quem invenimus in Jesu Christo Domino ac Salvatore nostro, qui nos blande et benigne se sequi invitat dicens: „Ego sum via et veritas et vita.”

Homo factus hanc viam nobis antecessit, cuius vita nobis omnibus in rebus exemplum est. Sequentes enim viam, quam Salvator divinus nobis præcessit, tuti finem vitæ assequemur. Ipse exemplum est omnium hominum electorum. Si beati fieri volumus, ad eum adiungere et applicare et ei æquales fieri eiusque vitam imitari debemus. Quippe qui dicit: “Nemo venit ad Patrem nisi per me.”

Quapropter intremus per portam, quæ est Christus Dominus noster. Christum sequi et æquum et facile et necesse est. Quantopere æqua sit imitatio intellegimus, cum proponimus quam deformis esset aspectus mundi, si Salvator et Redemptor non venisset. Quanta miseria et lamentatione affecti essemus! Vita terrena quanta

esset sollicita, et mors, quam esset aspera et amara spe regni cælestis omissa.

Nunc autem cum sancto Bernardo exclamare possumus: “O culpa felix, quæ nos attulit tantum Salvatorem!” Jesus Christus viam nobis aperuit certam. Cœli portæ nobis patent cum eum sequimur et manus sanctorum nos ad imitandum invitant.

Immo vero facile est Jesum sequi; ipse qui dicit: “Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suave est et onus meum leve.”

Tria sunt, quæ allevant mihi imitationem Jesu, æquitas animi et gaudium et pax, quibus Jesus omnes se sequentes iam in hac vita remunerat.

RESPONSORIUM

cf. Io 14,6; 10,7

R/. Christus est via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per eum.

V/. Intremus ergo per portam, quæ est Christus. Nemo venit ad Patrem nisi per eum.

Oratio

Omnípotens et misericors Deus, qui beatam Mariam Terésiam, virginem, in sacramentalem Christi præsentiam fide íntegra succénsam, ad fratres in omni necessitate remoto discrímine sublevándos roborásti, da nobis, eiusdem spíritu caritatis, tibi in proximo indefésse ministrare. Per Dominum.

Die 30 aprilis

B. PAULINÆ DE MALLINCKRODT,
RELIGIOSÆ,
FUNDATRICIS CONGREGATIONIS

Paulina de Mallinckrodt, anno 1817 Mindæ nata, ab ineunte adulescentia ægris vel auxilio indigentibus deserviebat. Paderbornæ imprimis liberis cæcis educandis et erudiendis se dedit, annoque 1847 ibidem administrationem partis catholicæ

instituti provincialis cæcorum suscepit. Duobus annis post, i.e. anno 1849, Congregationem Sororum de Caritate Christiana condidit, quæ præter curam cæcorum mox alia officia socialia, præsertim puerorum et puellarum disciplinam et institutionem suscepit. Hodie congregatio non solum in diœcesi Paderbornensi, sed etiam in tota Europa et in America septentrionali meridianaque diffusa est.

Paulina de Mallinckrodt attentissimo animo miserias necessitatesque hominum ineuntis ætatis industrialis observabat. Cuius caritas hominum caritate Dei vivebat, imprimis virtute Eucharistiae. Cum autem in persecutione ecclesiæ catholicæ, quam dicunt „Kulturkampf“, opus, cui totam se dediderat, magna ex parte periret, tamen voluntati Dei obediens omnes turbines superavit. Fortitudine eius effectum est, ut Conradus Martin episcopus confessor in ecclesia cathedrali archidiœcesis sepeliri posset. Cui extremis vitæ eius annis refugium præstítit in filiali Belgica cuiusque corpus clam Paderbornam transtulit. Die 30 Aprilis anni 1881 Paulina de Mallinckrodt in fama sanctitatis mortua est.

De Communi virginum, Vol. II, 1603.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

E commentariis Paulinæ de Mallinckrodt († 1881) exercitiorum

(*Paulinæ von Mallinckrodt, Adhortationes factæ
in exercitiis piis non publicatæ*)

Tu vitis, ego palmes!

Domine, tu melius scis quam ego, quid mihi prospicit, quoniam diligis me, quoniam benignus es perfectaque sapientia prædictus: ecce, ancilla Domini, fiat mihi secundum voluntatem tuam! Bene, iube ergo in posterum me semper ita tecum loqui – nec mores mei mendacii coarguant me! Adiuva me, quæso, Domine! Da nihil aliud, nisi quod tu vis: sanitatem aut morbum, vitam aut mortem, laudem aut vituperationem hominum, solitudinem aut familiaritatem, animi

tristitiam aut hilaritatem, progressus liberorum cæcorum aut laborem sterilem, ædes institutorum pulchras aut exigyas – da, quod vis! Hoc unum, Domine, noli mihi negare: Fac, ut sint instituta ad maximam tuam gloriam! Noli sinere me cæcitate mentis laborare in opere, quod tibi displicet – o, tali operi ne dederis incrementum! Sin autem tibi placet, nihil me conturbet, Domine!

Res difficiles sunt; multi enim severe de me iudicabunt, quod in instituto mixtæ religionis laboreo. Fac, Domine, ut tunc contenta sim iudicio tuo! Adiuva me, ut in me semper sit voluntas integerrima et recta intelligentia! Iube me toto animo servare iura ecclesiæ tuæ sanctæ, sed et fervidissimo erga proximum caritate esse inflamatam! De tota vita mea fac, quod vis! Sive laboriosa sit sive tranquilla et iucunda, Domine, nihil mea interest, dummodo tibi placeam. Diligenti Deum omnia cooperantur in bonum; mundus totus factus est, ut ei serviat... Tibi soli serviam, id est mihi propositum et finis – ad te omnis creatura me perducat; ad te me perducant, quæcumque homines mihi afferunt, sive bona sive mala. Tu doce me esse ancillam Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, ut eo perveniam, quo tu vis!

Diligam te, fons omnis salutis, toto corde, tota anima, tota virtute – super omnia, – et dilectione tua proximum sicut meipsam. Neque enim amor proximi erit probatus, nisi ex hoc fonte manaverit. Si homines propter indolem tantum et iucunditatem amarem, amor meus naturalis tantum esset nec caritatis christianæ nomine dignus. Sed quantus debet esse amor proximi? – Diligatis proximum vestrum tamquam vosmetipsos, dicit Iesus. Diligatis eum, sicut dilexi vos. Ipse dilexit nos usque ad mortem crucis – ad quam omnia referuntur!

Da, Iesu, ut imaginem tuam in me exprimam, ut tantum ex te et in te et tecum et per te vivam! Tu vitis, ego palmes! Adiuva me, ut sensus actionesque meæ

tuis tam conformes fiant, ut Christus quasi in me agere videatur! Fac, ut sim patiens sicut Iesus, mitis sicut Iesus, humilis sicut Iesus, amans sicut Iesus – nam Iesu similem esse, exemplo nostro, fratri nostro, id est sanctitatis.

RESPONSORIUM

Io 15,5.9

R/ Ego sum vitis, vos palmites. * Qui manet in me, hic fert fructum multum. Alleluia.

V/ Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. * Qui manet.

Oratio

Omnipotens, sempiterne Deus, qui in Beata Paulina de Mallinckrodt præclarum benignitatis tuæ signum ostendisti, ipsa intercedente, concede, ut, igne caritatis succensi, te semper quæramus atque tuæ dilectionis testes efficiamur in mundo. Per Dominum.

Die 7 iunii

S. ERKANBERTI, EPISCOPI

Prope Heribopolim (Würzburg) ortus Erkanbertus intravit in monasterium Benedictinorum Fuldense. Inde ab anno 785 missionarius fuit in regione Visurgis (Weser) centrali, antequam consecratus est episcopus missionis anno 790. Circa annum 803 sibi assumpsit gubernium diœceseos Mindensis a Carolo Magno imperatore fundatæ ut eius primus episcopus.

De Communi pastorum: pro episcopo, Vol. III, 1432.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

**Ex Adhortatione Apostolica *Evangelii nuntiandi*
S. Pauli VI, papæ**

Evangelizare per testimonium fidelitatis erga Iesum

In Ecclesia testimonium vitæ vere proprieque christianæ, quæ Deo in indissolubili prorsus communione traditur quæque immenso pariter animi fervore aliis donatur, primum evangelizandi subsidium esse reputandum. Ut laicorum coram cœtu nuper ediximus, *homo nostræ huius ætatis libentius testes quam magistros audit; quodsi suas bisce præbet aures, ita facit, quoniam testes sunt* (Sermo habitus ad sodales „Consilii de Laicis“ (2 Octobris 1974): AAS 66, 1973, p. 568.). Quod idem perbene Petrus apostolus enuntiavit, cum egregium exhiberet spectaculum castæ observantisque conversationis, qua nempe *si qui non credunt verbo . . . sine verbo lucrifiant* (Cf. 1 Pt 3,1). Per suam ergo conversationem suumque vivendi morem Ecclesia potissimum mundum evangelizare potest, id est per testimonium vita ipsa comprobatum, quo et suam erga Dominum Iesum fidelitatem, et paupertatem abstinentiamque, et libertatem a quavis terrestris mundi potestate, et sanctitatem demum aperte declarat.

Neque supervacaneum præterea est illustrare, quanti referat sitque necesse prædicatio. Quomodo credent ei, quem non audierunt? *Quomodo autem audient sine prædicante? (...) Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom 10, 14.17). Quæ quidem lex, lata olim per apostolum Paulum, hodierno adhuc tempore integrum vim suam virtutemque retinet.

Semper scilicet pernecessaria est prædicatio, qua nuntius verbis proclamatur. Qui sunt hodie homines, eos novimus, orationibus iam saturatos, sæpe sæpius audiendi fastidientes atque – quod peius est – contra verba obdurescentes videri. Neque vero sententias plurimorum psychologicis socialibusque rebus doctorum ignoramus, qui eosdem dicunt civilem cultum, a verbis appellatum, utpote inefficacem iam et

inutilem esse prætergressos, atque in præsenti novum attigisse vitæ cultum, ab imaginibus appellandum. Talis sane rerum status facile suadeat, ut ad evangelicum nuntium tradendum ea recentiora adhibeantur subsidia, quæ eiusmodi cultus invexit. Ceterum, ad hoc quod attinet, bona ac probabilia existimantur experimenta, quæ facta sunt, quæque nostra libenter laude prosequimur atque adhortatione firmamus, quo magis magisque provehantur. Fastidium tamen, quod inanes tot hodie sermones afferunt, potiusque momentum, quod pluribus inest modis socialis communicationis, neque firmam verborum vim minuere neque fiduciam iisdem tribuendam adimere debent. Verbum sua semper pallet præstantia atque efficacitate, maxime vero cum id Dei virtutem secum fert (Cf. 1 Cor 2,1–5). Qua de causa, et illud sancti Pauli nostro tempore perstat: *Fides ex auditu* (Rom 10,17): quod enim verbum auditur, id ad credendum perducit.

RESPONSORIUM

Mc 16, 15–16; Io 3, 5

R. Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. * Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

V. Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. * Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

Oratio

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, beáti Erkanbérti epíscopi digne memóriam venerári, et, sicut illum quibus præerat, verbo et exemplo prodésse voluísti, ita ipsíus apud te semper intercessiónis suffrágia sentiámus. Per Dóminum.

Die 12 iunii

**S. LEONIS III,
PAPÆ**

Leo III iam adulescens variis in ecclesia Romana muneribus fungebatur, cui inde ab anno 793 usque ad annum 816 papa præterat. Mense ianuario anni 799 Carolum, regem Francorum, Paderbornæ convenit, ubi colloquiis actionibusque cum Carolo habitis evenit, ut diœcesis Paderbornensis conderetur et Carolus rex anno 800 Romæ a Leone papa diadema acciperet imperii Romani.

De Communi pastorum, Vol. III, 1432.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

**E sermone Francisci Stock († 1948) ad captivos
theologos Germanos in Gallia directo**

*(René, Closset, Er ging durch die Hölle – Franz Stock,
Paderborn 1979, 234–236)*

*Numerus sanctorum, quos Deus esse voluit,
suppetit ad ætatem servandam*

Si urbs terræmotu concutitur, cum aulis et ædificiis etiam turres ecclesiarum prolabuntur. Sin autem res publica in ancipiti est, neque institutiones neque vita ecclesiæ manent, utpote quæ extra res publicas esse non possint.

Quo maius discrimin est, quo magis fundamenta vitæ humanæ labefiunt, eo magis etiam corpus ecclesiæ conquassatur. His temporibus multa dilabuntur et rumpuntur; ubique nil firmi, nil certi. Sententiæ a maioribus traditæ, virtutes beatæ memoriæ amittuntur, et opiniones stultissimæ fidem inveniunt.

Rebus sic stantibus mirum esset, si ecclesia incarnata et humana permaneret quasi locus quietis extra

dissolutionem universalem. Cum id, quod in ea divinum et æternum est, non mutetur, econtra ea, quæ in ea humana sunt, rapiuntur sicut in saltatione illa Hispanica, quæ dicitur Sarabande.

Hæc ætas inquieta, concitata, veneria, commutans spiritualia mundanis. Hæc ætas odium triumphare videns et legibus iudiciisque carens, sed semper novis rebus studens in malum conversa est et ruinis plena in urbibus animabusque. Aetas hæc divisa, dissoluta in singulas nationes, quæ tam ridiculæ sunt quam vetera vestimenta Zuavi. Aetas hæc aut a sancta religione se avertit aut sanctitati studet; ecclesiam aut repellit aut attrahit. Maxime interest vere filios nostræ ætatis esse et ecclesiam cum tempore recenti coniungere.

Numerus sanctorum, quos Deus esse voluit, suppetit ad ætatem servandam. Qui sancti animo hoc munere funguntur et virtutibus mores huius sæculi in melius convertunt. Qui sancti humanum amorem renuntiant scientes, quid renuntient, et exemplo vitae suæ humanitatem docent. Qui sancti neque casus adversos neque seditiones timentes tota mente atque omni animo secundum adventum Salvatoris exspectant, quorum amor patriæ amori generis humani congruit ultra fines nationum, regnum, generum, ordinum.

RESPONSORIUM 1 Tim 6,11 sq.; cf. Col 3,15; cf. Rm 15,7

R/ Sectare iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. * Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.

V/ Suscipe omnes homines, sicut et Dominus suscepit te. * Certa bonum.

Oratio

Domine Deus, qui per sanctum Leonem exordia Ecclesiæ Paderbornensis confirmasti, supplices te rogamus, ut nostro quoque tempore Ecclesiam Paderbornensem protegere eiusque unionem cum Pontifice Romano firmare digneris. Per Dominum.

Die 8 iulii

S. KILIANI,
EPISCOPI HERBIPOLENSIS,
CONPATERONI ECCLESIÆ
CATHEDRALIS PADERBORNENSIS,
MARTYRIS

Diœcesi Paderbornensi anno 799 condita nuntii doctrinæ ab urbe Herbipoli (Würzburg) profecti in partibus Westfaliæ ad orientem spectantibus fidei consuluere firmandæ; qua ratione est effectum, ut S. Kiliani, primi Herbipolis episcopi, cultus etiam Paderbornam translatus sit. Kilianus, qui, gente ir-scottica natus, præcoque in Franconiaë orientalis regionibus ad ripas Mœni fluvii sitis evangelium Christi prædicavit, nonnullis cum sociis circa annum 689 martyrium subiit. Interiore inter Paderbornam et Herbipolim connexione factum est, ut S. Kilianus patronus Cathedralis Paderbornensis secundus declararetur.

De Communi martyrum, Vol. III, 1411.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

E libro Friderici Jürgensmeier († 1946)

(*Friedrich Jürgensmeier, Der mystische Leib Christi, Paderborn 1935, 250–252*)

Membrum fidele ecclesiæ de ecclesia et pro ecclesia vivit

Mira est lex vitæ supernaturalis, quod opus redemptionis Christi semen erat, e quo cetera opera bona membrorum quasi fructus nascerentur, fructus, dico, operis Christi. Sed et omne opus sanctificationis, omnis actus supernaturalis membra corporis mystici et ipse est semen, quod quodammodo et alicubi in communione membrorum mystici corporis fit fructus. Vita et oratio, operatio et passio Christi incarnati gratiæ et saluti fuerunt omni generi humano. Cum vero

natura Christi humana exaltata caput mystici corporis facta sit et meritum fructum acceperit, omne membrum, quod in terris est, opus Christi persequitur. Neque vero quasi novam gratiam acquirit, quam Christus semel meruit, neque novam redemptionem operatur, quæ semel a Christo facta est, sed fructum redēptionis quem ipse accepit, aliis tradit. Nam quæ singuli Christifideles in sua vita supernaturali operantur, gratiam et fructum ferunt, et singula membra Christi in analogia, quam dicunt, humanitatis Christi pro omnibus et singulis membris operantur. Cum ergo vita ascetica vivi membra mystici corporis Christi implicata sit et cohæreat cum corpore mystico eiusque membris, etiam habitus asceticus consentaneus esse debet.

Is enim potissimum, qui sibi conscientius est se esse membrum mystici corporis Christi, non solum obiectum ecclesiæ se cognoscit quasi præcipue esset hierarchia, sed subiectum, cuius opera vita ecclesiæ ædificatur. Omnem quidem gratiam, omnem vitam supernaturalem ab ecclesia habet, sed sibi conscientius est etiam semetipsum ecclesiæ vitam reddere debere, id est, oportere, communicet incremento ecclesiæ atque sollicitudinibus et laboribus eius. Membrum fidele ecclesiæ sanctitatem appetens non solum de ecclesia, sed etiam pro ecclesia vivit. Fidelis sanctitatem appetens perfectus esse non potest, si sola sui ipsius commoda et necessitates considerat, cum abstineat a regno Dei et incremento contentionibusque eius quasi alienus, ad quem hæc omnia nihil pertinerent.

RESPONSORIUM

Rm 12,5 sq.; 1 Cor 12,13

R/ Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. * Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.

V/ In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. * Habentes autem.

Oratio

Omnipotens et misericors Deus, qui beati Kiliani apostolico labore christianæ religionis fundamenta in terra Francorum iacere dignatus es, fac, ut, eins intercessione, in fidei stabilitate firmemur. Per Dominum.

Die 22 iulii

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIAE CATHEDRALIS

Sollemnitas in ipsa Ecclesia Cathedrali dedicata Festum in ceteris ecclesiis

In Palatio a Carolo Magno Paderbornæ constituto iam anno 777 capella aulica sub titulo Salvatoris erat. Paulo post ipsa ædes cathedralis ædificari cœpta esse videatur; nam Leo Papa III cum anno 799 Paderbornam veniret, ut cum Carolo Magno colloqueretur, altare huius ecclesiæ in honorem sancti Stephani consecravit. Baduradus episcopus, qui anno 836 reliquias sancti Liborii Cenomano Paderbornam transtulit, illud ædificium perfecisse et tutelæ Genitricis Dei atque sancti Kiliani commendasse videtur. Initio sæculi undecimi Liborius ecclesiæ cathedralis et diœcesis patronus principalis eligitur. Variis de causis sæpius per sæcula ædes vel mutata vel de integro ædificata est, præsertim sæculis undecimo, tertio decimo, septimo decimo, undevicesimo. Pius Papa XI cathedralem Paderbornensem ad dignitatem ecclesiæ metropolitanæ provexit. Bello mundiali secundo ad finem vertente ecclesia Cathedralis telis igniferis icta magna ex parte deleta, annis vero bellum sequentibus restituta est. Die 22 iulii anno 1982 novum consecratum est altare.

De Communi dedicationis ecclesiæ, Vol. III, 1315.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO PRIOR

Tamquam lapides vivi superaedificamini

Carissimi: Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum et simulantiones et invidias et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationale sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si gustastis quoniam dulcis Dominus.

Ad quem accedentes, lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, coram Deo autem electum, pretiosum, et ipsi tamquam lapides vivi ædificamini domus spiritalis in sacerdotium sanctum offerre spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Propter quod continet Scriptura: “Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum; et, qui credit in eo, non confundetur”.

Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem “Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli” et “lapis offensionis et petra scandali”; qui offendunt verbo non credentes, in quod et positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Carissimi, obsecro tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam; conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus considerantes glorificant Deum in die visitationis.

Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: sive regi quasi præcellenti sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, et non quasi

velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate.

RESPONSORIUM

Tb 13,21; Apc 21,19–21

R/ Lapidès pretiosi omnes muri tui. * Et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur.

V/ Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius. * Et turres.

LECTIO ALTERA

E concione Hugonis Aufderbeck episcopi († 1981) quam Nordhusæ in Aede Cathedrali habuit.

(*Hugo Aufderbeck, Volk Gottes auf dem Weg, Leipzig 1979, 103–105*)

Aedes Cathedralis quasi arx est quædam et norma.

Arx, quia locus tranquillitatis homini foris venienti; solum stabile, fornix firmus; columnæ moles sustinent, in æde ampla liberius respiratur. – Christus petra, quæ non commovetur; super nos manus Dei tutans nos, in medio nostri Apostoli, columnæ veritatis, recepti sumus in templum Spiritus vivificantis.

Qui hanc ædem ingreditur, quasi in directum rapitur. Ecclesiæ nostræ sæpe ad orientem spectant, eo, ubi sol oritur. Hic verbum prædicatur sicut lucerna clara lucens; hic populum Dei per tempora peregrinantem columna ignis vivens antecedit, sol iustitiae, lucerna, quæ nos ab ignibus fatuis et erroribus itineris servat.

Aedes Cathedralis arx tuta vagis ac norma est errantibus, locus manendi et denuo proficisciendi. Aede Cathedrali et mente elevamur et in unum congregamur. Hanc cathedralem ingredior, ego homo parvulus hanc aulam Dei. Hoc est mysterium ecclesiæ cathedralis, quod in ea fio homo, quem alloquitur,

quem vult Deus, divino lumine illustratus, nomine vocatus – sicut Mariam Magdalenam die paschali mane divinus hortulanus nomine appellavit dicens: „Maria!“; et sicut Thomæ incredulo dixit: „Thoma!“ Admiranti et mihi licet respondere cum Maria Magdalena et dicere: „Rabbuni“, et cum Thoma: „Dominus meus et Deus meus!“ Hic ego homo parvus eligor ad occurrentum Domino mundi, extoller ad dexteram eius, lætitia afficiar promissione eius, qua dicit: „Faciam te columnam in templo Dei mei; et scribam super te nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei“. Cathedralis domus Dei in terris posita est porta cæli. Hic anima impletur gratia et pignus futuræ gloriæ nobis datur. In altari opus nostræ redemptionis exercetur.

Hic scimus nos unum esse cum Nœ, qui post diluvium Domino ædificavit altare – et cum Abraham, qui in terra Moria supra montem altare ædificavit – et cum Melchisedech, qui panem et vinum obtulit – et cum Moyse, qui sanguine agni altare aspersit.

Hic nos unum esse cum Christo scimus, qui in altari crucis semetipsum in monte Golgotha voluntarie offerens omnia hominum sacrificia imperfecta unius sacrificii perfectione sanxit. Unum nos esse scimus cum sacerdotibus, qui hic in medio populo credentium incessabiliter unicum sacrificium Christi in eius commemorationem celebraverunt. – Et scimus nos unum esse cum omnibus Christianis futurarum generationum, qui mysterium fidei celerabunt, donec veniat Dominus.

RESPONSORIUM

Ps 83,2–3,5

R/ Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum:
concupiscit et deficit anima mea. * In atria Domini.

V/ Qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum
sæculi laudabunt te. * In atria Domini.

HYMNUS Te Deum.

Oratio

In ipsa Ecclesia Cathedrali dedicata:

Deus, qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecrationis reparas diem, exaudi preces populi tui, et præsta, ut fiat hic tibi semper purum servitium et nobis plena redemptio. Per Dominum.

Oratio

Extra ipsam ecclesiam dedicatam:

Deus, qui de vivis et electis lapidibus æternum habitaculum tuæ præparas maiestati, multiplica in Ecclesia tua spiritum gratiæ, quem dedisti, ut fidelis tibi populus in cœlestis ædificationem Jerusalem semper accrescat. Per Dominum.

Die 23 iulii

S. LIBORII,
EPISCOPI CENOMANENSIS,
PATRONI ECCLESIÆ CATHEDRALIS
PADERBORNENSIS
ET ARCHIDIŒCESIS PADERBORNENSIS

Sollemnitas

Cultus sancti Liborii anno 836 ortus est, Ecclesia Paderbornensi paucis decenniis ante condita. Ideo Baduradus episcopus inter novam diœcесim et ecclesias regni Francorum iam fide probatas unitatis vinculum firmare et animos fidelium suorum ad eos inclinare studuit, qui iam sancti in cœlo Deum perfectius laudant et ecclesiæ adhuc in terris peregrinanti deprecationibus adsunt.

Cum litteris commendaticiis Ludovici Pii legati Baduradi episcopi Paderbornensis Cenomanum profecti reliquias eiusdem sancti a Cenomanensibus petierunt. Tum episcopus et fideles ut dolore affecti, ita summa cum liberalitate concedentes reliquias sancti Liborii iis dono dederunt. Fœdere caritatis et perpetuæ fraternitatis inter duas ecclesias tunc pacto vinculum unitatis, caritatis, pacis confectum est, quod usque ad hunc diem

in omnibus tempestatibus integrum permansit. Liborius, amicus sancti Martini Turonensis, sæculo quarto episcopus Cenomanensis erat. Sicut postea Baduradus episcopus Paderbornensis hominibus lumen Evangelii et mysteria salutis attulit et benignitatem Dei ostendit. Multis auctoribus comperimus Liborium magna memorabiliaque pro ecclesia Cenomanensi fecisse. Populus autem eum ultra mortem amat ac venerabatur et Dominus ad sepulcrum eius miracula edidit. Reliquis translatis ecclesia Paderbornensis non solum in veneratione sancti Liborii perseverabat, sed etiam eam augebat. Paulo post una cum Maria et Kiliano patronus ecclesiæ cathedralis factus est, immo initio sæculi undecimi patronus principalis. Subsidium eius imprimis ab iis imploratur, qui morbo calculorum laborant.

De Communi pastorum, Vol. III, 1432.

AD I VESPERAS

HYMNUS

Franciæ quondam decus atque lumen,
quem colit Sartæ Paderæque flumen, huc
ades nobis ope sanctiori, dive Libori.

Tu vir in terris humilis, pudicus,
nec levis mundi vitiis amicus,
visus es iugi pietate sursum tendere cursum.

Tu sacerdotum decus atque forma,
factus es cleri populique norma:
et quod externe tua vox monebat, vita docebat.

Larga mendicis dona contulisti;
pro Dei cultu solitus fuisti, ære
non parvo fabricare claras numinis aras.

Nunc Deo iunctus superisque Divis,
alta cælorum super astra vivis;
inde nos mæstos miserosque dulci munere fulci.

Te, Deus simplex pariterque trine,

cælitum laudet chorus absque fine;
ac tibi semper canat ampliores laudis honores.
Amen.

PSALMODIA

Ant. 1 Liborio plaudat Gallia, quæ tantum virum edidit: felicior nunc Germania, cui corpus illa credidit.

Psalmus 112

Laudate, pueri Domini, * laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, * super cælos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in cælo et in terra?

Suscitans de terra inopem, * de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Ant. Liborio plaudat Gallia, quæ tantum virum edidit: felicior nunc Germania, cui corpus illa credidit.

Ant. 2 Beatus cui Martinus adfuit in dulci transitu, vocatus vir divinus cæli superno monitu.

Psalmus 145

Lauda, anima mea, Dominum ; † laudabo Dominum in vita mea, * psallam Deo meo, quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus, * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus eius, et revertetur in terram suam; * in

illa die peribunt cogitationes eorum.
Beatus cuius Deus Iacob est adiutor, * cuius spes in
Domino Deo suo.
Qui fecit cælum et terram, * mare et omnia quæ in eis
sunt.
Qui custodit veritatem in sæculum, † facit iudicium
oppressis, * dat escam esurientibus.
Dominus solvit compeditos, *
Dominus illuminat cæcos,
Dominus erigit depresso, *
Dominus diligit iustos.
Dominus custodit advenas, † pupillum et viduam
sustentat, * et viam peccatorum disperdit.
Regnabit Dominus in sæcula, * Deus tuus, Sion, in
generationem et generationem.

Ant. Beatus cui Martinus adfuit in dulci transitu,
vocatus vir divinus cæli superno monitu.

Ant. 3 Felix Paderæ civitas, in qua refulget hodie ille,
quem cæli bonitas ornat signis cotidie.

Canticum Eph 1,3–10

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu
Christi, * qui benedixit nos in omni benedictione
spirituali in cælestibus in Christo;
sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, †
ut essemus sancti et immaculati * in conspectu
eius in caritate,
qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum † per
Iesum Christum in ipsum, * secundum propositum
voluntatis suæ –
in laudem gloriæ gratiæ suæ – * in qua gratificavit
nos in dilecto Filio suo,
in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, *
remissionem peccatorum.
Secundum divitias gratiæ eius, † quæ superabundavit
in nobis * in omni sapientia et prudentia;
ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, *

secundum beneplacitum eius,
quod proposuit in eo, * in dispensatione plenitudinis
temporum,
instaurare omnia in Christo, * quæ in cælis et quæ in
terra sunt.

Ant. Felix Paderæ civitas, in qua refulget hodie ille,
quem cæli bonitas ornat signis cotidie.

LECTIO BREVIS

Eph 4,2–6

Digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum longanimitate, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et unus Spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium; qui super omnes et per omnia et in omnibus.

RESPONSORIUM

Cf. Col 3,15

R/. Pax Christi dominetur in cordibus vestris; * ad quam et vocati estis in uno corpore. Pax.

V/. Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem. * Ad quam et vocati estis in uno corpore. Gloria Patri. Pax.

Ad Magnificat, ant. Virtus viri tam celebris et iugis interventio nos salvet ab illecebris et cæli iungat gaudio.

Canticum B. Mariæ V. Lc 1,46–55

Exultatio animæ in Domino

Magnificat * anima mea Dominum,
et exsultavit spiritus meus * in Deo salutari meo;
quia respexit humilitatem ancillæ suæ, * ecce enim
ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est, * et sanctum
nomen eius,

et misericordia eius a progenie in progenies *
timentibus eum.
Fecit potentiam in bracchio suo, * dispersit superbos
mente cordis sui,
depositus potentes de sede, * et exaltavit humiles,
esurientes implevit bonis, * et divites dimisit inanes.
Suscepit Isræl, puerum suum, * recordatus
misericordiæ suæ,
sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham et
semini eius in sæcula.

Ant. Virtus viri tam celebris et iugis interventio nos
salvet ab illecebris et cæli iungat gaudio.

PRECES

Oremus Iesum Christum, qui est in nobis spes gloriae.

R/. Recordare Ecclesiæ tuæ, Domine.

Qui sanctum Liborium ecclesiæ Cenomanensi episcopum constituisti:

— auge in ea fidem, spem, caritatem.

Qui sanctum Liborium ecclesiæ Paderbornensi patronum dedisti:

— Archiepiscopum nostrum, auxiliares eius
totumque clerum cum omnibus fidelibus tuere.

Qui sanctum Liborium populis ministrum unitatis et
pacis constituisti:

— coniunge populos Europæ et fac, ut omnibus
adsint hominibus.

Qui sanctum Liborium patronum et deprecatorem
ægrotorum fecisti:

— da eis salutem et corporis et animæ novamque
spem vitæ.

Qui sanctum Liborium inter Sanctos tuos suscepisti:

— nos quoque in fine vitæ nostræ ad gloriam
cælestem vocare digneris.

Pater noster

Oratio

Domine omnium populorum, Deus noster, qui sanctum Liborium Ecclesiæ Cenomanensi episcopum et Ecclesiæ Paderbornensi patronum dedisti, fac, ut intercessione eius unitatem Ecclesiæ servemus et omnes inter populos discordias superemus. Per Dominum.

AD OFFICIUM LECTIONIS

HYMNUS

Verbum, ab æterno Patre
natum ante tempora,
rerum fons et rerum finis,
permanens per sæcula,
nobis verbum dic salutis,
movens cordis intima.

Verbum, quod amorem Patris
manifestas gentibus,
evangelii præconem
ordinas Liborium,
qui nos verbo veritatis
sanat et sanctificat.

Eius verba, eius vita
excitant in mentibus
fidem, in te radicatam,
spem, quæ te desiderat,
caritatem, quæ nos tecum
unit et conglutinat.

Trinitati sempiternæ
honor sit et gloria.
Bone Pastor, Caput nostrum,
ora cum Ecclesia.
Tua voce nos conduce,
donec victor venias.

Amen.

PSALMODIA

Ant. 1 Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister.

Psalmus 20,2–8.14

Domine, in virtute tua lætabitur rex, * et super salutare tuum exsultabit vehementer.

Desiderium cordis eius tribuisti ei, * et voluntatem labiorum eius non denegasti.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; * posuisti in capite eius coronam de auro purissimo.

Vitam petuit a te, et tribuisti ei, * longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi.

Magna est gloria eius in salutari tuo, * magnificientiam et decorem impones super eum; quoniam pones eum benedictionem in sæculum sæculi, * lætificabis eum in gaudio ante vultum tuum.

Quoniam rex sperat in Domino, * et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Exaltare, Domine, in virtute tua; * cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Ant. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister.

Ant. 2 Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Psalmus 91 I

Bonum est confiteri Domino, * et psallere nomini tuo, Altissime,
annuntiare mane misericordiam tuam, * et veritatem tuam per noctem,
in decachordo et psalterio, * cum cantico in cithara.

Quia delectasti me, Domine, in factura tua, * et in
operibus manuum tuarum exsultabo.
Quam magnificata sunt opera tua, Domine: * nimis
profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
Vir insipiens non cognoscet, * et stultus non
intelleget hæc.
Cum germinaverint peccatores sicut fenum, * et
floruerint omnes qui operantur iniquitatem;
hoc tamen erit ad interitum in sæculum sæculi; * tu
autem altissimus in æternum. Domine.

Ant. Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis
immarcescibilem gloriae coronam.

Ant. 3 Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini
tui.

II

Quoniam ecce inimici tui, Domine, † quoniam ecce
inimici tui peribunt, * et dispergentur omnes qui
operantur iniquitatem.

Exaltabis sicut unicornis cornu meum, * perfusus
sum oleo uberi.

Et despiciet oculus meus inimicos meos, * et in
insurgentibus in me malignantibus audiet auris
mea.

Iustus ut palma florebit, * sicut cedrus Libani
succrescat.

Plantati in domo Domini, * in atriis Dei nostri
florebunt.

Adhuc fructus dabunt in senecta, * uberes et bene
virentes erunt,
ut annuntient quoniam rectus Dominus, refugium
meum, * et non est iniquitas in eo.

Ant. Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini
tui.

V/. Audies de ore meo verbum.

R/. Et annuntiabis eis ex me.

LECTIO PRIOR

De Epistola prima Pauli apostoli ad Thessalonicenses

2,1–13

Verbum Dei in fidelibus operatur

Ipsi scitis, fratres, introi tum nostrum ad vos, quia non inanis fuit; sed ante passi et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos evangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non ex errore neque ex immunditia neque in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque sub prætextu avaritiæ, Deus testis, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis neque ab aliis; cum possemus oneri esse ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos; ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis; nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis evangelium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte et iuste et sine querela vobis, qui credidistis, fuimus; sicut scitis qualiter unumquemque vestrum, tamquam pater filios suos, deprecantes vos et consolantes testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocat vos in suum regnum et gloriam.

Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis non ut verbum hominum sed, sicut est vere, verbum Dei, quod et operatur in vobis, qui creditis.

RESPONSORIUM

Gal 1,11.12; 2 Cor 11,10.7

R/. Evangelium, quod evangelizatum est a me, non

est secundum hominem. * Neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi.

V/. Est veritas Christi in me, quoniam evangelium Dei evangelizavi vobis. * Neque.

LECTIO ALTERA

E concione Conradi Martin episcopi († 1879) in festo Sancti Liborii habita

(*Christian Stamm, Kanzelvorträge und Festreden des hochwürdigsten Bischofs von Paderborn Dr. Conrad Martin, Paderborn 1884, 276–278*)

De conservanda fide

Certe quidem iustis de causis sanctum Liborium veneramur; cum enim æquum et iustum sit omnes sanctos Dei colere, quanto magis grati animi officium nobis præstandum et cultus tribuendus est ei, cuius præcipuo commendati sumus præsidio. Quantis enim patronus noster cælestis beneficiis nos obligavit, imprimis quod eius auxilio inæstimabile fidei sanctæ nostræ bonum conservatum est.

Multæ enim erant ecclesiæ et diœceses, quæ quondam quidem florebant, sed nunc ex toto perierunt, quia Deo admittente „candelabrum ab eis motum est“. Sedes vero sancti Liborii, cuius sanctæ reliquiæ tempore sancti Baduradi, secundi diœcesis Paderbornensis episcopi, huc translatæ sunt, adhuc sicut prima die immota ibi stat, ubi plus mille annis ante condita est. Adhuc stat ingentissimis tempestatibus per tempora sævientibus, fide vero catholica, quo fundamento erat ædificata, minime labefactata.

Gratias igitur cælesti patrono diœcesis nostræ agamus maximas pro potenti eius præsidio, sed simul humiliter et pie hodie precemur, ut sanctus Liborius, quo adiuvante adhuc fidem sanctam servavimus, maiorem etiam nobis impetret gratiam, ut secundum fidem nostram sanctam vivamus vel ut ipsa nostra fides sit

valida, sit sedula caritate ac bonis operibus probata. Hoc est unum necessarium, quocum comparata cetera omnia sunt superflua et supervacanea, parva vel inutilia. Quam cito enim vita nostra fragilis præteribit, et cum præterierit, quid interest, utrum in inopia et passionibus degerim an in gaudiis, rebus iucundis, honoribus, deliciis? Utrumque enim prætererit. Nolite ergo a sancto Liborio hodie parva vel inania petere. Sin autem bona huius sæculi, id est sanitatem, a necessitatibus liberationem, proventum rerum gerendarum ab eo petere volueritis, hoc saltem precamini, ut fiat voluntas Dei et – quod est maximum optimumque – ut in fide et caritate sancta maneatis, quo perveniatis eo, ubi cum sancto Liborio in æternum Deum laudibus celebrare possitis. Amen.

RESPONSORIUM

Eph 3,17–19; cf. Col 3,16

R/. Christus habitat per fidem in cordibus vestris. In caritate radicati et fundati, ut valeatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum. * Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

V/. In gratia cantate in cordibus vestris Deo psalmis, hymnis et canticis spiritualibus. * Scire.

HYMNUS Te Deum.

Oratio, ut ad I Vespertas

AD LAUDES MATUTINAS

HYMNUS

Exsurgens sol iustitiæ
annuntiat novum diem:
Christus mundum vivificat
noctis pellens caliginem.

Lætemur de victoria, quam

Iesus Christus retulit,
cum mane die tertia
de mortuis resurgeret.

Clarificavit Dominum
Liborius gentilibus,
veram lucem testificans,
quæ homines illuminat.

Cum Christo mortem subiens
nunc gloriam participat.
Illustra mentes hominum,
tu lux æterna Trinitas.
Amen.

PSALMODIA

Ant. 1 Deum laudent in Liborio leprosi, cæci, claudi,
quos reddit adiutorio saluti, luci, gressui.

Psalmus 62, 2–9

Anima Dominum sitiens

Ad Deum vigilat, qui opera noctis reicit.

Deus, Deus meus es tu; * ad te de luce vigilo.
Sitivit in te anima mea, * te desideravit caro mea.
In terra deserta et arida et inaquosa, † sic in sancto
apparui tibi, * ut viderem virtutem tuam et
gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas, *
labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea, * et in nomine tuo
levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, * et
labiis exultationis laudabit os meum.

Cum memor ero tui super stratum meum, * in
matutinis meditabor de te,
quia fuisti adiutor meus, * et in velamento alarum
tuarum exsultabo.

Adhæsit anima mea post te, * me suscepit dextera tua.

Ant. Deum laudent in Liborio leprosi, cæci, claudi, quos reddit adiutorio saluti, luci, gressui.

Ant. 2 Dum sancti viri spiritum cæli suscipit curia, felicem eius obitum signa prædicant varia.

Canticum

Dn 3,57–88,56

Omnis creatura laudet Dominum

Laudem dicite Deo nostro, omnes servi eius (Ap 19,5)

Benedicite, omnia opera Domini, Domino; * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, angeli Domini, Domino; * benedicite, cæli, Domino.

Benedicite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino; * benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino; * benedicite, stellæ cæli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino; benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et æstus, Domino; * benedicite, frigus et æstus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino; * benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino; * benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebræ, Domino; * benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum; * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, montes et colles, Domino; * benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino; * benedicite, maria et

flumina, Domino.
Benedicite, cete et omnia, quæ moventur in aquis,
Domino; * benedicite, omnes volucres cæli,
Domino.
Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino; *
benedicite, filii hominum, Domino.
Benedicat Isræl Domino; * laudet et superexaltet eum
in sæcula.
Benedicite, sacerdotes Domini, Domino; *
benedicite, servi Domini, Domino.
Benedicite, spiritus et animæ iustorum, Domino; *
benedicite, sancti et humiles corde, Domino.
Benedicite, Anania, Azaria, Misæl, Domino; *
laudate et superexaltate eum in sæcula.
Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, *
laudemus et superexaltemus eum in sæcula.
Benedictus es. Domine, in firmamento cæli; * et
laus et gloria et superexaltatus in sæcula.

In fine huius cantici non dicitur Gloria Patri.

Ant. Dum sancti viri spiritum cæli suscipit curia,
felicem eius obitum signa prædicant varia.

Ant. 3 Magna sunt miracula, quæ Deus precibus
Sancti Liborii fecit. Dominum toto corde laudemus.

Psalmus 149

Exsultatio sanctorum

*Fili Ecclesiæ, filii novi populi exsultent in rege suo: in
Christo (Hesychius).*

Cantate Domino canticum novum; * laus eius in
ecclesia sanctorum.
Lætetur Isræl in eo, qui fecit eum, * et filii Sion
exsultent in rege suo.
Laudent nomen eius in choro, in tympano et cithara
psallant ei.
Quia beneplacitum est Domino in populo suo, * et

honorabit mansuetos in salutem.

Iubilent sancti in gloria, * lætentur in cubilibus suis.
Exaltationes Dei in gutture eorum, * et gladii
ancipites in manibus eorum,
ad faciendam vindictam in nationibus, * castigationes
in populis,
ad alligandos reges eorum in compedibus, * et
nobiles eorum in manicis ferreis,
ad faciendum in eis iudicium conscriptum: * gloria
hæc est omnibus sanctis eius.

Ant. Magna sunt miracula, quæ Deus precibus
Sancti Liborii fecit. Dominum toto corde laudemus.

LECTIO BREVIS

Phil 4,4–7

Gaudete in Domino semper. Iterum dico: Gaudete! Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope. Nihil solliciti sitis, sed in omnibus oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiet corda vestra et intellegentias vestras in Christo Iesu.

RESPONSORIUM

R. Hic est fratum amator, * Qui multum orat pro populo. Hic est.

V. Et animam suam tradidit pro fratribus suis. * Qui multum orat pro populo. Gloria Patri. Hic est.

Ad Benedictus, ant. Intercessio sancti Liborii conservet confraternitatem nostram caritatis et confirmet vinculum nostrum unitatis et pacis.

Canticum Zachariæ

De Messia eiusque præcursoro Lc 1,68–79

Benedictus Dominus Deus Isräel, * quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ;

et erexit cornu salutis nobis, * in domo David, pueri
sui:
sicut locutus est per os sanctorum, * qui a sæculo
sunt, prophetarum eius;
salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium,
qui oderunt nos:
ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, *
et memorari testamenti sui sancti;
iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem
nostrum, * daturum se nobis,
ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum
liberati, * serviamus illi,
in sanctitate et iustitia coram ipso, * omnibus diebus
nostris.

Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: * præibis
enim ante faciem Domini parare vias eius,
ad dandam scientiam salutis plebi eius, * in
remissionem peccatorum eorum,
per viscera misericordiæ Dei nostri, * in quibus
visitavit nos Oriens ex alto:
illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis
sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam
pacis.

Ant. Intercessio sancti Liborii conservet
confraternitatem nostram caritatis et confirmet
vinculum nostrum unitatis et pacis.

PRECES

Benedictus sit Iesus Christus, qui sanctum Liborium
elegit nobisque dedit patronum.

R/. *Te laudat sanctorum chorus, Domine.*

Gratias agimus tibi pro Ecclesia tua, quæ est in terra
nostra sancti Liborii præsidio aucta:
— qua in laude tua uniamur et salus nobis donetur.

Gratias agimus tibi pro lumine evangelii a Liborio
patribus nostris prædicato:
— quod nostra quoque corda illuminet et fidem nostram

confirmet.

Gratias agimus tibi pro omnibus benedictionibus Liborio sacerdote et deprecatore partis:

— quæ veniant etiam super nos et super opera nostra.

Gratias agimus tibi pro omnibus operibus caritatis a Liborio in vita sua perfectis nobisque ad imitandum relictis:

— quibus confirmemur in caritate erga omnes fratres et sorores.

Gratias agimus tibi pro pace a Liborio nobis per sæcula deprecationibus impetrata:

— nostris quoque temporibus in animis potentium dominetur.

Pater noster.

Oratio

Domine omnium populorum, Deus noster, qui sanctum Liborium Ecclesiæ Cenomanensi episcopum et Ecclesiæ Paderbornensi patronum dedisti, fac, ut intercessione eius unitatem Ecclesiæ servemus et omnes inter populos discordias superemus. Per Dominum.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM SEU AD HORAM MEDIAM

Omnia de communi pastorum, præter:

HYMNUS

Adesto, Sancte Spiritus,
fons vitæ, auctor lumen:
tu corda nostra excita,
ut diligamus invicem.

Qui totum mundum renovas,
dissensiones amove
et vi supernæ gratiæ
nos gentem sanctam perfice.

Dux nobis est Liborius,
qui gregem suum dirigit
ad trinam metam omnium,
te Patrem, Filium, Spiritum.
Amen.

AD II VESPERAS

Omnia ut ad I Vesperas præter sequentia:

HYMNUS

Francia in regno vigil es tu pastor
prædicans Christum populo fideli
morbidos sanans statuensque templam,
sancte Libori.

Te patres nostri pie detulerunt
Paderæ ad ripas peregre, ac deinde
carus es nobis pater atque amicus
factus in ævum.

Iunctus es Iesu, populus, fac, omnis,
clerus, antistes maneant ut unum,
congreges Christi pietate cunctos
Christifideles.

Per te sunt iuncti in amore Christi
fœdere grato populi perenni;
in malis cunctis famulos tuere,
pacis amator.

Laus Deo Patri Domino populorum,
laus sit et Christo, Genito coævo,
Flamini, fonti bonitatis omnis,
Trino et Uni.

Amen.

Ad Magnificat, ant. Sanctum Liborium tibi amicum
elegisti – et nobis patronum dedisti.

PRECES

Benedictus sit Jesus Christus, pastor bonus, qui vitam suam tradidit pro amicis suis:

R/. Domine, tu esto pastor populi tui.

Domine, qui episcopos et fideles Paderbornenses et Cenomanenses perpetua caritate iunxisti,
— largire Ecclesiis nostris etiam in futurum benedictionem tuam.

Domine, qui homines Europæ sancti Liborii intercessione coniunxisti,
— præsta, ut non desistant pro unitate populorum laborare.

Domine, qui ad sepulcrum sancti Liborii preces ægrotorum et egenorum exaudisti,
— fac, ut semper eius intercessioni confidant.

Domine, qui sancti Liborii intercessione Ecclesiam Paderbornensem roborasti,
— auge hodie in nobis fidem, spem, caritatem.

Pater noster, **etc.**

Oratio, ut ad Laudes matutinas, pag. 53.

Die 7 augusti

**S. HATHUMARI ET S. BADURADI
ET B. MEINWERCI,
EPISCOPORUM PADERBORNENSIVM**

Inter primos episcopos ecclesiæ Paderbornensis sancti Hathumarus et Baduradus atque beatus Meinwercus episcopi excellunt.

Hathumarus primus episcopus Paderbornensis fuit (806–815), Heripoli educatus. Eo, quod Hathumaro episcopo cœnobium canonissarum Herfordiense fundatum et monasterium Corbeiense ut fundaretur decretum est, fides in Westfalia magnopere aucta.

Baduradus, qui in locum Hathumari successit (815–862), nobili Paderbornensi genere ortus et item Herbipoli educatus est. Episcopus Paderbornensis monasterium cathedralē cum schola erexit, ædem cathedralē perfecit, reliquias sancti Liborii Cenomano Paderbornam, sancti Viti Corbeiam, sancti Landelini Bokam, sanctæ Pusinnæ Herfordiam transtulit, cœnobium canonissarum Budicense condidit.

Meinwercus munere episcopali Paderbornensi ab anno 1009 usque ad annum 1036 fungebatur. Halberstadi et Hildeshemi educatus primum capellanus aulicus Henrici regis II fuit, cui etiam episcopus Paderbornensis intima familiaritate coniunctus erat. Novam ædem cathedralē et capellas sanctorum Bartholomæi et Alexii ædificavit, monasterium quod dicitur Abdinghof et claustrum canonicorum ecclesiæ beatorum Apostolorum Petri et Andreæ (Busdorf) condidit. In diœcesi novas parochias condendas et fidem firmandam curavit.

De Communi pastorum, Vol. IV, 1416.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

E litteris pastoralibus Caspari Klein archiepiscopi († 1941), cum diœcesis Paderbornensis in archidiœcesim elevaretur, scriptis

*(Kirchliches Amtsblatt des Erzbistums Paderborn 1940,
94–96)*

Deus protector ecclesiae

Quantum sacerdos vel pontifex in munere suo proficiat, e gratia Dei pendet, sicut dicit Doctor gentium: „Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus“ (1 Cor 3,7). Clavis autem thesaurorum gratiæ Dei oratio: „Petite, et dabitur vobis“ (Mt 7,7). Gratum ergo officium vobis ponendum est pontificem vestrum cum omnibus postulatis et curis iterum et herum cum fiducia caritati Dei sanctorumque suffragio commendare. Iuvate autem eum non solum orationibus, sed etiam factis. Nemo otiose quiescat, sed altera manus regnum Dei

iam in terris ædificet, altera multos et contumaces hostes propulset. Neque enim recte vobis dicunt non esse timendum, quia ecclesia nostra non possit perire, ideoque in vestro studio non esse positam salutem ecclesiæ, cum Deus protector eius fortis sit. Quibus verbis etsi ecclesia non proditur, sed tarnen inscientiæ vel infirmæ fidei sunt. Quamvis enim revera ecclesia perire non possit, nonne vos perire potestis? Ecclesia autem perire potest in singulis regionibus, non eodem tempore in omnibus regionibus terræ. Quomodo enim singuli homines fidem amittere possunt, ita et singulæ regiones. Incrementum et conservatio ecclesiæ catholicæ in singulis regionibus cum studio cleri populique adeo copulata sunt, ut Deus ipse tutelam denegaret, si istud studium deesset. Si cum ecclesia vincere vultis in certamine, omnes congregamini, sacerdotes et laici! Ducimini in sanctam collectationem! State succincti lumbos vestros in veritate et induiti loricam iustitiae! Sumite scutum fidei! Galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei (cf. Eph 6,14–17). In vita Montalemberti comitis nobilis Galliæ scriptum legimus: „Illis diebus, cum crux de turribus ecclesiarum Parisiensium deiceretur, per vias traheretur, populo seducto acclamante in Sequanam fluvium iaceretur, tunc reliquias illius crucis profanatæ in cor meum collegi et iuravi me illi servitum et eam defensurum. Quodque tunc iuravi, exinde servavi et Deo adiuvante servabo per omnem vitam!“

Colligamus et nos fidem nostram veterem, unice veram, multis invisam in corda nostra! Amplexamur et nos ecclesiam nostram catholicam, quam multi ignominia afficiunt et persecuntur, intimo amore! Iuremus et nos semper nos fidem ei servaturos et eam defensuros usque ad mortem!

RESPONSORIUM

Eph 5,25,20; Ps 33,12

R/. Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea. * Gratias agite semper in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et Patri.

V/. Beata gens, cui Dominus est Deus. * Gratias.

Oratio

Omnipotens, sempiterne Deus, qui ecclesiam Paderbornensem per sanctos Hathumarum et Baduradum atque beatum Meinwercum episcopos ad evangelium perduxisti, da, quæsumus, ut sanctis episcopis intercedentibus populus tuus et in fide crescat et fructum afferat in caritate. Per Dominum.

Die 4 septembris

S. IDÆ DE HERZFELD, VIDUÆ

Sancta Ida, uxor Egberti Saxorum ducis, vitam insignis pietatis, pænitentiæ, caritatis egit. Duo fratres et filius eius munere abbatiali Corbeiensi fungebantur, filia abbatissa fundatrix monasterii Herfordensis erat. Ida ultimos vitæ annos prope ecclesiam Herzfeldensem a se et a marito suo ædificatam degit, ubi die 4 mensis Septembris anni 825, ut videtur, mortua est. Reliquias eius Dodo, episcopus Monasteriensis, anno 980 elevavit. Herzfeldia in ultimis diœcesis partibus sita cultus eius etiam in regionem Paderbornensem transiit.

De Communi sanctorum mulierum, Vol. IV., 1500.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

E scripto spirituali Friderici Normann († 1983)

(*Excerptum ex ephemeride diocesana “Der Dom”*)

Sancti magis sibi consci peccatorum

Num vera et humana descriptio vitæ Christianæ est, si dicunt oportere, Christianus semper caput ante Deum deiciat, cum miserabilis conscientia culpæ in nobis alatur? Nonne ecclesia ita potestatem horribilem habet conscientiæ humanæ? Vivitne forte tantum de metu peccatorum?

Responsum sancti sciunt, quod cognoscitur e vita eorum. Quo enim coniunctius cum Deo vixerunt, eo maior eis factus est, eo præclarior, eo amabilior. Quo magis autem delectati sunt vitali abundantia eius, eo magis se non sufficere cognoverunt. Itaque sancti maxime se peccatores existimant, non malefici, qui Deum vix cognoverunt, neque homines illi stupidi, qui „peccata sicut aquam bibunt“. Quo magis Deum diligo, eo magis dolet omne, quod me ab eo separat. Qui dolor me non prosternet, sed ad conversionem incitat. Beati enim sumus, quod Deus nos diligit, cum peccatores simus. In Christo Iesu amore perpetuo me dilexit et semper mihi adest. Si in vulnera eius abscondar, vita mea non sine fructu erit, immo etiam opera mea fructum facient, quia in Deo sunt facta.

RESPONSORIUM

Rm 3,23–25

R/. Omnes peccaverunt et egunt gloria Dei. * Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

V/. Quem proposuit Deus propitiatorium in sanguine ipsius. * Iustificati.

Oratio

Deus, qui beatam Idam familiae suæ fidei et mater-næ dilectionis exemplar dedisti eamque viduatam eximia pietate et erga proximos caritate ornasti, præsta, quæsumus, nobis, ut, de cuius patrocinio lætamur, eius meritis et intercessione tibi fideliter servire valeamus. Per Dominum.

Die 25 septembris

S. ADALHARDI CORBEIENSIS, ABBATIS

Adalhardus (maior) natus est circa annum 751/52. Post conflictum cum consobrino suo Carolo Magno retractus est in monasterium Corbeicense (Corbie in Gallia) agens ibi vitam monasticam exemplarem. Carolo reconciliatus abbas constitutus est monasterii circa annum 780/81. Anno 822 monachi Corbeenses fundarunt monasterium Corbeicense ad Visurgem (Corvey an der Weser) vocatum Corbeiam Novam secundum abbatiam matrem, ubi die 25 mensis septembris inchoata est vita monastica. Adalhardus destinatus est abbas etiam huius novi monasterii. Mortuus est die 2 ianuarii anni 826 Corbeiae ibique sepultus.

De Communi sanctorum virorum, Vol. IV, 1475.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

Ex Prologo Regulæ S. Benedicti

(Conferentia abbatum Salisburgensis (ed.) Regula Benedicti. Die Benediktusregel, lateinisch/deutsch, Beuron 1992, 62–64)

Inclina aurem cordis tui.

Obsculta, o fili, præcepta magistri, et inclina aurem cordis tui, et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per oboedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras. Ad te ergo nunc mihi sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus, domino Christo vero regi militaturus, obœdientiæ fortissima atque præclara arma sumis.

In primis, ut quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, ut qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare non debet aliquando de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est ut non solum iratus pater suos non aliquando filios

exheredet, sed nec, ut metuendus dominus irritatus a malis nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam qui eum sequi noluerint ad gloriam.

Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos scriptura ac dicente: Hora est iam nos de somno surgere (Rom 13,11), et apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus divina cotidie clamans quid nos admonet vox dicens: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra (Ps 95,8). Et iterum: Qui habet aures audiendi audiat quid spiritus dicat ecclesiis (Apo 2,7).

Et quid dicit? Venite, filii, audite me; timorem domini docebo vos (Ps 34,12). Currite dum lumen vitae habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant (Io 12,35).

Et quærens dominus in multitudine populi cui hæc clamat operarium suum, iterum dicit: Quis est homo qui vult vitam et cupit videre dies bonos? (Ps 34,13) Quod si tu audiens respondeas: Ego, dicit tibi Deus: Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum; deverte a malo et fac bonum, inquire pacem et sequere eam (Ps 34,14s). Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos et aures meas ad preces vestras, et antequam me invocetis dicam vobis: Ecce adsum (Cf. Ps 34,16; Is 65,24; Is 58,9).

Quid dulcius nobis ab hac voce domini invitantis nos, fratres carissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis dominus viam vitae (Cf. Ps 16,11).

RESPONSORIUM

Eph 5, 8–9; Mt 5, 14. 1

R/. Vos estis lux in Domino; ut filii lucis ambulate. *
Fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate.
V/. Vos estis lux mundi. Luceat lux vestra coram hominibus. * Fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate.

Oratio

Deus, cuius ineffábili misericórdia beátus Adalhárdus

evangelizávit investigábles divítias Christi, da nos, eius intercessióne, crēscere in sciéntia tua, et, in omni ópere bono fructificántes, secúndum Evángelii veritátem coram te fidéliter ambuláre. Per Dóminum.

Die 3 octobris

SS. EWALDORUM FRATRUM, MARTYRUM IN FINIBUS RHENI INFERIORIS

Duo fratres Anglosaxones presbyteri sæculo septimo exeunte in Saxoniam venerunt. Qui in finibus Amsaræ fluvii (Emscher) evangelium prædicaverunt atque ibidem pro Christi fide occisi sunt, die 3, ut videtur, mensis Octobris anni 695. Reliquiae sanctorum martyrum Coloniam translatæ ab Annone II archiepiscopo die 3 mensis Octobris anni 1074 in ecclesia sancti Cuniberti elevatae sunt.

De communi plurimorum martyrum, Vol. IV, 1374.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO ALTERA

Ex historia ecclesiastica gentis anglorum sancti Bedæ Venerabilis († 735)

(*Beda's Ecclesiastical History of the English People*,
ed. B. Colgrave, R.A.B. Mynors, Oxford 1969, 480–482)

Gloriosa passio servorum Dei

Niger Ewald atque Albus Ewald venientes in provinciam intraverunt hospitium cuiusdam vilici petieruntque ab eo, ut transmitterentur ad satrapam, qui super eum erat, eo quod haberent aliquid legationis et causæ utilis, quod deberent ad illum perferre. Suscepit eos vilicus et promittens se mittere eos ad satrapam, qui super se erat, ut petebant, aliquot diebus secum retinuit.

Qui cum cogniti essent a barbaris, quod essent alterius religionis (nam et psalmis semper atque orationibus vacabant et quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam), suscepti sunt habitu, quia, si pervenirent ad satrapam et loquerentur cum illo, averterent illum a diis suis et ad novam christianæ fidei religionem transferrent, sicque paulatim omnis eorum provincia veterem cogeretur nova mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subito et interemerunt: Album quidem Ewaldum veloci occisione gladii, Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu et horrenda membrorum omnium discriptione; quos interemptos in Rheno proiecerunt.

Quod cum satrapa ille, quem videre volebant, audisset, iratus est valde, quod ad se venire volentes peregrini non permitterentur, et mittens occidit vicanos illos omnes vicumque incendio consumpsit. Passi sunt autem præfati sacerdotes et famuli Christi quinto Nonarum Octobrium die.

RESPONSORIUM

Sap 3,9.8; Mt 10,28

R/. Qui confidunt in Domino, intellegent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam gratia et misericordia est sanctis eius et visitatio electis eius.

* Iusti iudicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

V/. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. * Iusti iudicabunt nationes.

Oratio

Domine Deus, qui sanctos fratres Ewaldos verbi tui testes ad Saxonas misisti, præsta, quæsumus, eorum martyrio atque intercessione, ut vita testificemur, quod fide confitemur. Per Dominum.

Die 5 octobris

**S. MEINOLPHI DE BÖDDEKEN,
ARCHIDIACONI**

Meinolphus gente magnæ auctoritatis ad fidem christianam conversa regionis Paderbornensis natus Badurado episcopo scholam cathedralem Paderbornensem frequentavit. Circa annum 836 archidiaconus ordinatus reliquias sancti Liborii Cenomano adferre iussus est. Postea ex opibus patrimonii sui monasterium Budicense (Böddeken) prope Paderbornam situm condidit. Insigne eius campanula, cuius sono populum ad conciones audiendas et sacra celebranda convocasse dicitur. Reliquiae eius in ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Andreæ (Busdorffkirche) Paderbornensi sepultæ sunt.

De Communi sanctorum virorum, Vol. IV, 1475.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO ALTERA

**Ex Erconradi Translatione sancti Liborii episcopi
(sæc. IX)**

Meinolphus monasterium se constructurum promittit

Visis divina dispensatione tantis miraculorum signis dei timore pariter et amore Meinulphus archidiaconus conpunctus totam hereditatis suæ portionem ad sacrosanctum beati Liborii corpus tradidit, et in quodam loco, qui vocatur Bodicon, monasterium construere et sanctimonialium ibi congregationem ad dei genitricis sanctique Liborii servitium congregare fideli promissione devovit.

Peracta denique tam devota cunctisque videntibus placabili traditione in conspectu prædicti episcopi Aldrici, suscipiente Folodago Baduradi episcopi advoco, præsentibus sociis iam dicti Meinulphi, Adalberto presbytero nec non Aldrico diacono atque Drutwino subdiacono, prostratis in terram vultibus ante altare domini ad pedes beatæ memoriae Aldrici episcopi licentiam quæsierunt remeandi, et data

benedictione antistes pretiosum thesaurum coram omni clero et populo illi commendavit, ut semper digno cum honore haberetur.

RESPONSORIUM

Mt 19,21; Lc 14,33

R/. Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; * et veni, sequere me.

V/. Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. * Et veni, sequere me.

Oratio

Omnipotens, sempiterne Deus, cuius munere beatus Meinulphus archidiaconus primordiis Ecclesiæ Paderbornensis fovendis totis viribus incubuit, te supplices exoramus, ut, ipso intercedente, Ecclesiam huius loci nostris quoque diebus protegere eiusque cum beati Petri successore et cum Ecclesia sorore Cenomanesi communionem firmare digneris.

Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sanctii, Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Die 25 octobris

**DE REDUCTIONE RELIQUIARUM
S. LIBORII, EPISCOPI**

**Festum in Ecclesia Cathedrali
Memoria ad libitum in ceteris ecclesiis**

Anno 1622 Christianus ille Brunsvicensis, cognomine „Der Tolle Christian“ merito notatus, cathedralem Paderbornensem diripiens inter alia et scrinium cum reliquiis sancti Liborii abstulit. De quo scrinio nummi signati sunt. Reliquiae deportatae anno 1627 Capitulo cathedrali auctore Domum Novam (Schloß

Neuhaus) perductæ die 31 mensis octobris processione sollempni in cathedralem restitutæ sunt.

De communi pastorum, Vol. IV, 1416.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO PRIOR

De Epistola secunda beati Pauli apostoli ad Corinthios

3,4–4,6

Non nos met ipsos prædicamus, sed Iesum Christum

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non litteræ sed Spiritus: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Isræl in faciem Moysis propter gloriam vultus eius, quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Nam si ministerium damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria.

Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam; si enim, quod evacuatur, per gloriam est, multo magis, quod manet, in gloria est. Habentes igitur talem spem multa fiducia utimur, et non sicut Moyses: ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Isræl in finem illius quod evacuatur. Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur; sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Quando autem conversus fuerit ad Dominum, aufertur velamen. Dominus autem Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes revelata

facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.

Ideo habentes hanc ministrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicavimus occulta dedecoris non ambulantes in astutia neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam velatum est evangelium nostrum, in his, qui pereunt, est velatum; in quibus deus huius sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus sed Iesum Christum Dominum; nos autem servos vestros per Iesum. Quoniam Deus, qui dixit: “De tenebris lux splendescat”, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi.

RESPONSORIUM

Cf. 1 Th 2,4.3

R/. Sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur. * Non quasi hominibus placentes, sed Deo.

V/. Exhortatio nostra non ex errore, neque ex immunditia neque in dolo. * Non quasi.

LECTIO ALTERA

E concione Laurentii Cardinalis Jæger († 1975) quam anno 1956 in festo sancti Liborii habuit

(*Lorenz Jæger, Leben und Frieden,
Paderborn 1956, 251–253*)

*Reliquiis suis Liborius rerum et adversarum
et secundarum Ecclesiae Paderbornensis
quasi corpore particeps erat.*

Liborius ante annos 1600 nova ætate surgente et hominibus cum angore mundi interitum exspectantibus regnum Dei prædicans ætatis christianæ

nascentis administer efficax fuit. Cum sacrum eius corpus anno 397 ultra Sartham fluvium in basilica sanctorum Apostolorum Cenomanensi sepeliretur, nemo præsensit hunc sanctum virum originibus nascentis diœcesis terræ Westfalicæ affuturum. Divina providentia mirum in modum tristia lætaque archidieceseos nostræ cum sancto Liborio iunxit. Rerum et adversarum et secundarum urbis et diœcesis Paderbornensis Liborius reliquiis suis quasi corpore particeps fuit. Quod quidem præclare appareat nobis memori mente cogitantibus, Sancti nostri reliquiae quomodo illo triginta annorum bello (1618–1648) raptæ sint, quomodo et bello nostra ætate proxime gesto et annis id bellum sequentibus in periculis versatæ atque iniuriis sint expositæ. Sed et recordemur incrementum venerationis sancti Liborii ætate quæ vocatur media et gloriosus eius progressus ea ætate, quam vocamus „Barock“, denique his etiam temporibus. Liborius lux aliqua erat antiquis temporibus vergentibus et patronus archidiœcesis nostræ abhinc iam 1120 annos. Symbolum spei etiam nobis est medio in mundo interitum regionum ad occidentem spectantium pertimescenti.

Hic in labore perstitit, mærores latus sustulit, ad astra per terrestria pervenit Christi gratia.

RESPONSORIUM

Ps 85,2.3.5

R/. Complacuisti tibi, Domine, in terra tua, convertisti captivitatem Iacob. * Converte nos, Deus, salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.

V/. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorem. * Converte.

In Ecclesia Cathedrali: HYMNUS Te Deum.

Oratio

Omnipotens et misericors Deus, qui temporibus adversis Ecclesiam Paderbornensem sancti Liborii intercessione protexisti, quæsumus, ut diebus nostris

signa salutis tuæ renovare et nos in auxilium tuum
confidentes vias tuas docere digneris. Per Dominum.

Die 7 novembris

S. ENGELBERTI, EPISCOPI ET MARTYRIS

Engelbertus, anno fere 1185 filius comitis Engelberti de Monte natus, anno 1199 præpositus capituli cathedralis Coloniensis factus, anno 1216 archiepiscopus eiusdem urbis electus est. Fridericus II imperator Germaniæ eum administratorem regni tutoremque filii sui Henrici instituit, quem Engelbertus anno 1222 in urbe Aquisgranensi coronavit. Pacem publicam servandam curavit; monasteria defendit ab advocatis nobilibus, qui sæpe oppressores se præbuerunt. Ideo Fridericus de Isenburg, advocatus cœnobii Essendiensis, cognatus Engelberti, omnibus viribus utebatur, ut eum caperet. Archiepiscopum anno 1225 die 7 novembris prope Gevelsberg aggressus est; Engelbertus se defendens occisus est. Anno 1226 in ecclesia cathedrali Coloniensi sollemniter depositus et a legato cardinali Conrado de Porto martyr declaratus est. Reliquiæ beati Engelberti hodie, in tumba artificiosa conditæ, in ecclesia cathedrali quiescunt.

De Communi pastorum, Vol. IV, 1416, vel unius martyris,
1394.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

Ex Enarrationibus sancti Augustini episcopi in Psalmos

(In Ps 126,2–3: PL 36, 1668–1669)

Vanus est labor noster, nisi ille custodiat

Dominus ædificat domum, Dominus Iesus Christus ædificat domum suam. Laborant multi in ædificando; sed si non ille ædificet, *in vanum laboraverunt ædificantes eam*. Qui sunt qui laborant ædificantes?

Omnis qui in Ecclesia prædicant verbum Dei, ministri sacramentorum Dei. Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus. Quomodo audiatis, nos advertimus; quid cogitetis, ille solus novit qui cogitationes vestras videt. Ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum: et tamen laboramus et nos tamquam operarii; sed *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.*

Habet domus custodes: quomodo habet ædificantes, laborantes ut ædificetur, sic habet et custodientes. Et episcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant, et tamquam custodiant populum. Nam et græce quod dicitur episcopus, hoc latine superintendent interpretatur. Et de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus, et pro vobis oremus, ut qui novit mentes vestras ipse custodiat. Quia nos intrantes vos et exeūntes possumus videre; usque adeo autem non videmus quid cogitetis in cordibus vestris, ut neque quid agatis in domibus vestris videre possimus. Quomodo ergo custodimus? Quomodo homines; quantum possumus, quantum accepimus. Et quia nos sicut homines custodimus, et perfecte custodire non possumus, ideo sine custode remanebitis? Absit. Nam ubi est ille de quo dicitur, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam?* Laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat qui videt cogitationes vestras. Custodit ille cum vigilatis, custodit et cum dormieritis. Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus.

RESPONSORIUM

1 Pt 2,4–5; Ps 117,21

R/. Ad Dominum accedentes, lapidem vivum. * Et

ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritalis, sacerdotium sanctum, offerre spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.

V/. Hic est lapis, qui factus est in caput anguli. * Et ipsi.

Oratio

Deus, spes imbecillorum, in cuius honorem beatus pontifex Engelbertus tuendo oppressos vitam suam impendit; praesta, quae sumus, ut omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suae virtutem consequantur. Per Dominum.

Die 12 novembris

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS
ECCLESIARUM, QUIBUS
DIES DEDICATIONIS IGNOTA EST

Sollemnitas

De Communi dedicationis ecclesiæ, Vol. IV, 1299.

Die 25 novembris

B. NICOLAI STENONIS,
EPISCOPI

Nicolaus Steno Hafniæ in Dania anno 1638 ortus est. Eruditionem profundam associavit quavis cum pietate et anno 1667, Ecclesiam Catholicam nunc amplectens, per illustris iam pridem erat anatomicus necnon geographus. Anno 1675 ad sacrum presbyteratus ordinem promotus est. Pauperitas rigorosa atque caritas magna vitam suam insignibant. Nominatus est Vicarius Apostolicus Missionum Septentrionalium anno 1677. Cum Paderæ civitate annis 1680–1683 munere episcopi auxiliaris sit functus, hinc Hamburgum territorium missionum recurrerit. Spiritum reddidit Creatori die

5 mensis decembris, anno 1686 (die 25 mensis novembris iuxta calendarium iulianum) Suerini civitate. Paulo post, ossa sua Florentiam translata sunt.

De Communi pastorum, Vol. IV, 1416.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

Ex Scriptis beati Nicolai Stenonis

(Parochorum hoc age, Florenz 1684, 37–40)

Caritas erga unumquemque hominem

Christi verba quibus Divinum Petrum post resurrectionem ultimo alloquitur individualem solitudinem ovium vel quam evidentissime demonstrant, quando interrogans illum, an amaret se, mox subiungit: *Pasce oves meas*, tandemque addit: *Sequere me*. Unde patet non modo ipsum opus pascendi, sed etiam operis causa caritatis et modus operis Christi exemplum. Quid aliud est amare Iesum quam velle illi omnia bona, quæ ipse desiderat? Iam vero quid aliud desiderat Jesus quam singularum et omnium animarum salutem, cum illam curam cibum suum appellaverit, eo fine se venisse testatus fuerit, propter illam solam causam paupertatem, opprobria, tormenta et mortem sustinuerit? Ergo si illum amamus, debemus et nos eandem induere voluntatem, et hæc est dependentia harum duarum ad invicem propositionum: *Si amas me, pasce oves meas*, idest: *Si amas me, etiam quæ ego amavi, ama*, et ama eodem ordine quo ego illa amavi. Ego vero post patrem meum nihil amavi ac oves, utpote quas non modo amavi per gratias naturales, creando eas et conservando, sed etiam per gratias supernaturales, mundando eas ab omni inquinamento peccati et adimplendo eas omni scientia et virtute, conservando illas usque in finem. Ergo si me amas pariter pro viribus tibi a ratione concessis et concedendis id agito, ut singulis animabus

tibi commissis utriusque misericordiae opera illis exhibendo, iustitiae perfectio perseveranter communicetur. Idque non modo divitibus vel potentibus aut amicitia iunctis, sed etiam vel maxime vilissimo cuilibet mendico, quin et hosti. Quandoquidem inter pauperes et peccatores mea continua fuerit conversatio, et ex ipsis crucifixoribus invenerim quos salvarem. Quod si modum quæreris, me intuere: *Sequere me.* Quin ipse omnia loca perambulavi, omnibus beneficiando, prædicavi pluribus simul in monte, navi, templo, synagoga et conviviis. Prædicavi singulis seorsim: Zachæo me ultro apud ipsum invitans; Mariæ Magdalenæ ad pedes meos sedenti; Nicodemo nocte; Samaritanæ a me quæsitæ meridie; Andreæ et socio me inquirentibus toto die; latroni in cruce; diversis in diversis locis et temporibus per me ipsum et per missos a me discipulos, ut veritas omnibus innotesceret. Docui amicos, docui inimicos, persecutores, proditorem et occisores. Neminem veritus sum, nullum mortis periculum effugi usque in crucem, immo in ipsa cruce usque ad mortem pascendi munus continuavi.

Quisquis igitur Dominici gregis portionem suæ curæ commissam accepit, debet Iesum imitari cognoscentem singulas et a singulis cognitum et paratum pro qualibet etiam animam suam ponere, nedum solicitam cuiuslibet curam habere.

RESPONSORIUM

Cf. 1 Pt 5,2,4

R/. Pascite, qui est in vobis, gregem Dei, providentes non coacto sed spontanee * secundum Deum.

V/. Cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coro nam. * Secundum Deum.

Oratio

Deus, qui beáto Nicoláo epíscopo tuam in créatis sapiéntiam mirabíliter contemplári ac Fílii tui cruce inebriári donásti, eius, quæsumus, intercessióne

concéde, ut adhuc in terris peregrinántes Christum
Pastórem únicum sequámur tuúmque in cælis vultum
intuéri mereámur. Per Dóminum.

Die 4 decembris

B. ADOLPHI KOLPING, PRESBYTERI

Adolphus Kolping filius opilionis die 8 decembris anno 1813 in Kerpen prope Coloniam sito natus est. Post ludum loci artem sutrinam didicit. Hac arte non contentus et consilio sacerdotii petendi captus ab anno 1837 in „Marzellen-Gymnasium“ Coloniæ studia humaniora absolvit. Studiis philosophiæ et theologiae Monaci, Bonnæ, Coloniæ peractis, die 13 aprilis anno 1845 Coloniæ in ecclesia quondam Minoritarum presbyter ordinatus est. Vicarius cooperator in Wuppertal-Elberfeld (1845–1849), civitate industriis quæstuosis affluent, miserias exteras operariorum expertus est. Iuvenum consociatione, quæ a Ioanne Gregorio Breuer magistro condita erat, incitatus Kolping vocationem propriam repperit, ut operarios et artis opifices iuvenes in necessitatibus socialibus adiuvaret eosque in ecclesiam integraret. Vicarius Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis factus, anno 1849 „Societatem Catholicam Opificum“ fundavit, e qua „Opus Internationale Kolping“ ortum est. Adolphus Kolping die 4 decembris anno 1865 mortuus est. Sepulchrum eius in ecclesia Minoritarum, cuius rector ab anno 1862 fuerat, mox post mortem eius veneratum est.

De Communi pastorum, Vol. I, 1096.

AD OFFICIUM LECTONIS

LECTIO ALTERA

Ex homilia beati Adolphi Kolping

(*Adolph-Kolping-Schriften.*
Kölner Ausgabe Bd. 3, 1985, 128–129)

Tempus est agendi et movendi

Homines non tam mali sunt, quam saepe habentur. Manu vere christiana eos apprehendite, et cito errorem vestrum perspicietis. Quod non raro in vita repperimus et omni die iterum reperimus. Et dum aliorum hominum fides in homines tabescere videtur, nos eam crescere videmus – Deo gratias! Ecce, credimus in homines, credimus praesertim in iuvenes operantes, etsi vitia habent, etsi perdit sunt, etsi moribus saeculi nostri corrumpuntur. Et quia in eos credimus, non fatigamur operantes pro eis.

Insuper in maiores res quam homines credimus: credimus et in Deum. Et cum in eum credamus, cum rem Christianam tamquam vitam activam, tamquam efficacitatem ad salutem cognoscamus, ideo non in nosmetipsos confidimus, sed in virtutem victricem fidei Christianae, et illi virtuti Dei cogimur ministrare. Quod res multae nostra aetate in deterius convertuntur, quod vita socialis confracta et disissa est, nos, qui vere in rem Christianam credimus, eam traderemus, nisi hoc ipso tempore omnibus viribus – propriis aliisque in eandem finem operantibus – res in meliora converteremus et servaremus, quae servari possunt. Nunc non habemus tempus otiandi, spectandi, nihil curandi, cum fletu et luctu querendi! Tempus est agendi et movendi, unicuique ad mensuram virium eius. Non necesse est omnia posse, sed aliquid boni et fructuosi. Nisi potes agere solus, poteris una cum aliis. Hic non vere Christianus est, qui recedit ab actionibus communibus, non vere Christianus, qui non libenter rebus communibus interest et serviens agit.

Qui in Deum credunt, et in homines credere debent; et qui in rem Christianam vivide credunt, spiritu eius agere debent.

REPOSORIUM

Ps 111,5.6

R/. Iucundus homo, qui miseretur et commodat. *

Disponet res suas in iudicio.

V/. Quia in aeternum non commovebitur; in memoria aeterna erit iustus. * Disponet.

Oratio

Deus Pater misericors, qui beatum Adolphum Kolping de arte sutrina ad sacerdotium vocasti, ut per eum iuvenes et miseriis spirituibus et sociis eriperes, da nobis, quae sumus, eius intercessione, ut res adversas temporum nostrorum cognoscamus et fratrum necessitatibus, te adiuvante, subvenire possumus. Per Dominum.

Die 16 decembris

S. STURMII,
ABBATIS

Sturmius e Bavaria oriundus, monachum se fecit Benedictinum in monasterio Friedeslariensi (Fritzlar). De mandato sancti Bonifatii die 12 martii anni 744 erexit crucem in loco hodiernae cathedralis Fuldensis fundans monasterium Fuldense. Illuc iussit transferri corpus sancti Bonifatii eius post mortem anno 754. Carolus Magnus concredidit ei magnam missionis regionem apud Saxones et inter alia contulit illi custodiam castelli Eresburg (Heresburg, Mons Martis) in hodierno vico Obermarsberg. Sturmius consideratur apostolus vallis Timellae (Diemeltal). Mortuus est die 17 decembris anni 799 Fuldae.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, Vol. I, 1157.

AD OFFICIUM LECTIONIS

LECTIO ALTERA

E vita sancti Sturmii abbatis, auctore Eigilo.

(*Pius Engelbert, Die Vita Sturmi des Eigil von Fulda, Marburg 1968, 144–147*)

Monasterii Fuldensis fundatio

Beatus Sturmius, assumptis fratribus secum septem, commigravit ad locum ubi nunc sanctum situm est monasterium, et anno incarnationis Christi septingentesimo quadragesimo quarto, mense primo,

duodecimo die mensis, sanctum et a Deo dudum prædestinatum ingressus est locum, Dominum Christum illum semper tueri et sua invicta potentia defendi implorabant; sanctis Domino psalmodiis et ieuniis vigiliisque et orationibus diu noctuque famulantes, silvas cädere et locum mundare proprio labore studebant.

Expletis autem duobus mensibus, venerandus ad eos archiepicopus Bonifatius congregata hominum multitudine perrexit; conspectis cunctis loci illius commodis, in Spiritu Sancto exsultabat, grates Christo referens et laudes, quod servis suis talem in eremo tribuere dignatus est habitationem. Hominibus vero qui cum eo venerunt, in locum, ubi ei et servis Dei pariter cum eo visum est ecclesiam ponere, silvas et frutecta quæque cädere imperavit.

Altero autem anno sanctus episcopus ad novellum cœnobium pervenit suum, quod iam tunc propter meatum fluminis Fulda vocari inchoaverat, visis fratribus salutatisque penes ipsos complures explevit dies, in quibus novellos monachos suos instruere curavit. Post non multum, secrete habitu cum Sturmio colloquio quo eum qualiter præesse ceteris deberet docuit, inde profectus est. Sic vero solebat sæpe illos visitare episcopus.

Porro cum fratres regulam sancti patris Benedicti inhianter observare desiderassent, consilium utile inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur monasteria, ut fratrum ibi concordiam e conversationem regularem perfecte discerent. Quod cum sancto fuisset indicatum episcopo, prudens illorum collaudavit consilium et hanc legationem studioso Sturmio iniunxit. Qui præparatis itineris necessariis assumptis secum duobus fratribus, Romam profectus est atque in illa terra cunctis monasteriis lustratis et omnium mores ibi fratrum consistentium traditionesque monasteriorum ad plenum discens, integrum annu apud illa cœnobia perseverans, secundo

inde anno, repletus quibus viderat virtutibus regressus est et ad episcopum Bonifatium perrexit. Quo viso nimium episcopus gravis est, Domino adventus sui gratias referens. Et dum eum prudenter disciplinas monachorum referre agnovit: “Vade”, inquit, “et novellum monasterium Fuldam ad instar monachorum quorum ibi vitam contemplatus es, quantum quiveris, instituas”.

Statim vir beatus Sturmius, petita ab episcopo oratione, perrexit ad eremum, gratusque suis ad videndum fratribus die quarto advenit, quibus ea quæ in Italiae partibus et Tusciæ provinciæ monasteriis a sanctis patribus didicerat, et verbis prudentibus prompsit et exemplis in semetipso monstravit. In omni enim disciplina quam fratribus proposuit, prius semetipsum exercere curavit, ne forte quispiam de illo dicere potuisset: Cur hæc quæ doces ipse non facis? Desiderium tunc ingens inerat fratribus, ad omnia quæ eis dicta vel ostensa fuerant sanctorum exemplis, semetipsos toto annisu aptare, et regulam sancti Benedicti quam se implesse promiserant, ad omnia observabant.

RESPONSORIUM

R/. Civitatem istam tu circumda, Domine, et Angeli tui custodiant muros eius. * Exaudi populum tuum cum misericordia.

V/. Avertatur furor tuus, Domine, a populo tuo et a civitate sancta tua. * Exaudi.

Oratio

Deus, qui per beátum Stúrmium abbátem patres nostros vocásti ad fidem, præsta, quásumus, ut ipsíus intercéssio, quam frátribus ex hac vita migratúrus promísit, nobis profíciat ad augmentum fídei in caritaté fecúndæ. Per Dóminum.

Appendix

HYMNUS AD VESPERAS I VEL II DE SOLLEMNITATE SANCTI LIBORII

Ad libitum

Iesu, corona mentium
Aeterna te colentium;
Quo dante, non inglorius
Tot signa dat Liborius.

En sacra lux inclaruit,
Qua præsul hic apparuit
In sempiterno lumine,
Tuo beatus numine.

Hic post subacta crimina
Ad celsa divûm limina
Pervenit abstinentia
Precumque diligentia.

Orci furores despuit,
Mundi caduca respuit,
Fulsitque castimonia
Et morum sanctimonia.

Durabat in laboribus,
Gaudebat in doloribus;
Sic ille per terrestria
Tetendit ad cælestia.

Iesu, precantes respice,
Nec vota nostra despice;
Largire nobis gratiam,
Et eius efficaciam.

Fac in tuorum cordibus,
Quæ munda fac a sordibus
Divina crescat caritas,
Vitæque puræ claritas.

Et tu, beata Trinitas,
Bonique fons Divinitas,
Nos adsalutis atria
Duc in superna patria.
Amen.

INDEX LECTIONUM BIBLICARUM

Novum Testamentum

Lucas

1,46–56	33
1,68–79	44

Epistola II ad Corinthios

3,4–4,6	59
---------------	----

Epistola ad Ephesios

4,2–6	33
-------------	----

Epistola ad Philippenses

4,4–7	44
-------------	----

Epistola I ad Thessalonicenses

2,1–13	38
--------------	----

Epistola I ad Petri

2,1–17	26
--------------	----

INDEX HYMNORUM

Adesto, Sancte Spiritus	46
Exsurgens sol iustitiae	40
Franciae quondam decus	30
Francia in regno vigil	47
Iesu, corona mentium	72
Verbum, ab æterno Patre	35